IHS

Teol. 3849

8 qto 2

X. g. 49.

O XIII
19

Debet. [illegible]

Ne quid timere fiat [illegible] sapienti [illegible]

ORATIONVM ECCLESIASTICARVM

Dominicalium

TOMI PRIMI

Pars Altera.

Authore R. P. STANISLAO ZAKRZEWSKI, Canon. Reg. Monas. Czeruen. B. V. M. Professo. Sacræ Theolo. Lectore. Ordinario Prædicatore, ad ædes S. Georg. Warsauiæ.



CALISSII.

In Officina Alberti Gedelii Illust. Archiepiscopi Typographi. Anno Dni. 1620.

Cum licentia Superiorum.

Illustrißimo & Reuer^mo Domino,

D. GEORGIO ZAMOYSKI

EPISCOPO CHELMNENSI ABBATIÆ CERVENENSIS

ADMINISTRATORI PERPETVO &c.
Domino ac Patri suo benignissimo.

Author in Gratia Dei Nestoreos dies.

PRima parte Orationum Ecclesiasticarum Serenißimo Regi, & Illmo Dnō Archiepiscopo Gnesnensi, magna cum animi submißione oblata, hāc alteram meditanti, venit in mentem quærere, sub cuius auspiciis ederetur. Verum non difficile fuit inuenire, statim I. C. V. venit imago, eius videlicet qui clarißimo Zamosciadum Familiæ splendore, summum decus & ornamentum labori meo præstare valeat. Lumen quoque sapientiæ, & radii prudentiæ, cum in Te lucidißime præfulgeant, non altero, quam I. C. V. nomine condecorandum hoc opus meum duxi. Iam vero singularis I. C. V. amor in ordinem nostrum Canonicorum, multis indiciis exhibitus non alio diuertendum suadebat. Beneficia quoque pleno modio, & pingui mensura Monasterio no-

stro

ſtro Ceruenenſi ab I. C. V. exhibito (templum ſcilicet vetuſtate corruptum per I. C. V. mirum in modum magno cum ſumptu renouatum, apparamentis Eccleſiaſtico ritui ſeruientibus exornatum. Monaſterium vero ipſum paterno affectu rebus ad victum & amictum neceſſariis dotatum, vrgere & exigere videbatur, vt viciſsim gratitudinis & obſeruantiæ erga I. C. V. teſtimonium nomine omniũ Canonic. Reg. exhibere non differem. Quod quidem libenter facio, pro hiſque inſignibus in nos collatis beneficiis iterum atque iterum gratias ago, feliciterque viuere, in annos ad ornamentum & ſubſidium noſtrum quam plurimos deſidero. Hocque meum opus, & omnia mea humilis in Chriſto filius, & ſeruus omnium nouiſsimus prouolutus ad pedes paternos, do, dedico, conſecro. Ex Conuentu Warſ. Can. Reg. 20. Feb. Anno Dni. 1620.

ORATIO ECCLESIASTICA

In Dominica Septuagesimæ.

Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna quæ præteriit. Psal. 89.

VItæ humanæ breuitas per hoc pulcherrimè demonstratur, cum vnius diei spatio comparetur. *Summa Concionis.*

REfert Plutarchus Ægyptios olim in domorum constructione fuisse negligentes, cum sepulchra interim magnificentia, & sumptu multò ædificarent, & Pyramides ad hoc erigerent magnitudinis miræ; rogati cur id facerent: quia, scilicet respondebant, virorum domicilia, vitæ in momento transeuntis diuersoria sunt, sepulchra verò sunt defunctorum domus æternæ. En quomodo homines tenebris errorum inuoluti, vitam humanam esse breuissimæ durationis agnoscebant, & idcirco ea quæ mundi sunt contemnentes, futurorum memores existebant. At Christiani, fidei lumine illustrati pollicentur sibi longos viuendi dies, & mortis aduentum longè à seipsis abesse opinantes, magna sollicitudine bona temporalia quærunt, viuuntque, ac si nunquam morituri. Sed profectò breues dies hominis sunt, & mensura dierum eius apud Dominum. Quamobrem quærite potius, ô mortales, cœle-

In suis moralibus.

Obliuio futurorum inducit homines ad colligenda bona temporalia.

cœlestia bona, quia hæc æterna sunt, temporalia verò breui relinquenda, ibique domos sumptuose construite, vbi anima est sine fine victura, non verò hic, vnde statim est recessura. Quod vt maiori cum diligentia faciatis, vitam nostram, vnius diei spatio, non amplius permanere conuenientibus rationum argumentis ostendam.

AVE MARIA.

INprimis igitur testimoniis sacræ scripturæ, vitam humanam vnius esse diei comprobatur. *Mane* inquit Psalmista, *floreat & transeat, vespere decidat, induret & arescat.* Flos mane floret, sed vnius diei spatio propter ingentem æstum siccatur, indurescit, & arefit: sic homo in tenera iuuentutis ætate, forma & viribus pollet, adueniente tenebrosa mortis nocte, propter vehemẽtes febris ardores extinguitur. Iob. 14. *De mane vsque ad vesperam finies me,* & Sap. 5. *Spes impii tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur, & tanquam fumus, qui à vento diffusus est, & tanquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis.* Ex quibus verbis nonne rectè colligitur vitam humanam, vnius tantummodo diei spatio permanere. Sed parum dixi, dicam plura. Nullum vnquam hominem, vitam vnius diei duxisse, neque ducturum affirmo. Quid ita? Quis enim aliquando ex hominum genere vitæ huius beneficio mille annis vsus fuisse perhibetur? Obserua & videbis nullam vitam adeò fuisse longam, vt ad millesimum annum perueniret. Adam vixit annis 930. Seth filius eius 912. Enos autem 905. &c. At mille anni, vnus dies ante Dominum est, optimè igitur dictum, etiam vnius diei

Psal: 89. *Flori homo rectè comparatur.*

Nullus homo vnum diem vixisse dicitur.

us diei horas non posse complecti vitam humanam. Refert Isidorus nasci iuxta fluuium Hipané, in Græcia animal quoddam paruulum, quod Ephemeron nuncupatur, quatuor habens pedes, & quatuor alas, cuius tantum est vnius diei vita super terram, in qua ambulat, volat, quærit vitæ necessaria, crescit, & denique eadem qua nascitur die, pariter obit. Quis non miretur animalculi huius diligentiam, inquirendo pedibus, & alis alimenta pro vita vnius diei? Si intellectum haberet & nosset, eadem die se vitam cum morte commutaturum, mirum si non diceret, vt quid sollicitudine cibi vexor, qui hodie moriturus sum. Vos quibus est intellectus, filii hominum, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium. Dies vt omnibus notum est, in tres partes diuiditur, videlicet in mane, meridiem, & vesperum. Hoc modo, & vita humana tribus temporum spatiis distinguitur, nempe iuuentute, virili ætate, & senectute. Mane igitur orto sole, auium concentu syluæ resonant, flores, & herbæ cœlesti rore conspersæ, iucundum emittunt odorem, arbores viridantibus indutæ foliis, flore, & fructu augmentantur, deambulationibus per prata & hortos amænos homines occupantur, rem paucis complectar, omnia læta, iucunda, & grata adesse animaduertuntur. Non dispari ratione, dum iuuentutis tenera ætas fauet, homines pulchritudine formæ, & quadam vultus iucunditate florent, choreis, conuiuiis, voluptatibus, aliisque deliciarum oblectamentis libentissimè indulgent. proni ad omnem hilaritatem & lætitiam. Eccl:11. *Lætare ergo iuuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, &*

Animal vnius die spatio vitam ducens, & eadem die moriens.

Comparatur iuuentus cũ mane quod est principiũ diei.

Iuuenes potissimũ dissoluũtur in omnẽ voluptatẽ etsi nõ sine pœna.

in intuitu oculorum tuorum, & scito quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium. Ac si diceret. ô peruersi iuuenes, qui florem vitæ vestræ arescere in æstu libidinum, & feruore voluptatum carnalium sinitis, noueritis vos caliginosa mortis nocte appropinquante condignas subituros pœnas. Non abs re Horatius inquit.

Imberbis iuuenis tandem custode remoto,
Gaudet equis canibusque & aprici gramine campi,
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Vtilium tardus prouisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusque & amata relinquere pernix.

Iob. 1. Iob. 1. *Et ibant filii eius, & faciebant conuiuium per domos, vnusquisque in domo sua. Et mittentes vocabant tres sorores suas, vt comederent, & biberent cum eis.* Ecce quomodo & Sanctorum filii in iuuentute lætitiæ incumbunt. Lotos herba in Ephrate fluuio ad ortum solis emergit extra aquam, ac florem patefacit, atque etiam tunc exurgit, vt plane ab aqua absit alte, vespere autem cum flore mergitur, vsque in medias noctes totaque abit in altum, vt ne demissa manu possit inueniri. Similiter homo in iuuentute floridus apparet, & aliquando sicut Cedrus Libani multiplicatur, postea ad vitæ vesperum deficit. nec amplius inuenitur locus eius. Adhæc Ortus est Sol. *Exibit homo ad ortus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam.* Homo enim nascitur ad laborandum sicut auis ad volandum, & ab ipsa infantia sacramento militiæ Christianæ; ad fortiter cum antiquo serpente pugnandum obligatur. Vix Moyses in lucem editus fuerat, & ecce mater eius, *sumpsit fiscellam scirpeam, & liniuit eam bitumine, ac pice, posuitque intus infantulum, & exposuit eum in carecto ripæ fluminis stante procul sorore eius, & considerante euentum rei.* Sic vbi primum homo

Herba mirabilis in flumine.

Psal. 103.

Exod. 2.

homo natus fuerit in ipso iuuentutis flore, exponitur variis turbationum procellis, hic inde iactandus, quippe homo natus de muliere breui viuens tẽpore, repletur multis miseriis, & nunquam in vno eodemque statu permanet. Et sicut in meridie æstus vehementissimus, & ardor solis fortissimus viget, sic in virili ætate labores maximi, cum ingenti hominis fatigatione, & sudore vultus eius circa domesticam supellectilem. aliasque occupationes difficillimas hominem exagitant. Iacob Patriarcha dum in domo matris suæ iuuenis viueret, summo ab illa amore præuentus lætam agitabat vitam, virili ætate adueniente, quod tempus contrahendo matrimonio deputatum esse nouimus, laboribus sese fatigandum exponit inquiens. *Seruiam tibi pro Rachel filia tua minore septem annis.* & 31. *Die noctuque æstu vrgebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis, sicque per viginti annos seruiui tibi, quatuordecem pro filiabus, & sex pro gregibus tuis.* Homo quoq; à Parentibus suis in iuuentute diligenter fouetur, caute portatur, delicate educatur, crescente verò ætate laboribus fatigatur. Accipitres teste B. Ambrosio libro Exameron diligunt pullos suos, quamdiu plumis vestitos non animaduertunt, sed vbi vident eos alarum adiumento volare posse, absq; mora de nido eos exturbant, & ad victum sibi propria industria quærendum expellunt. Sic & gallina pullos suos amat, sub tegumento alarum suarum fouet, à miluo defendit, & cibum pedibus quæsitum cursitantibus porrigit, postquam verò aliquantisper creuerint, nullam de illis curam habet, sed eos vagari, & victum sibi quærere sinit. Non diuersa hominum conditio, amantur illi in iuuentute sua à Parentibus, omni-

Homo natus statim subiicitur variis molestiis.

In sudore vultus tui vesceris pane tuo.

Gen. 29.

omnique custodia & diligentia educantur, sed dum virilis ætas adest, eos militiæ, laboribus, causis dicendis, aliisque negotiorum occupationibus implicant, monentes eos, vt suis sibi curis prouideant. Vesperus quoq; mortem humanam per quam optimè denotat. Dum enim vesperus aduenit, claritudo solis desinit suis radiis orbem terrarum illustrare, sed horrribili tenebrarum caligine omnia conteguntur: sic morte appropinquante, omnis claritudo nominis, splendor familiæ, lumen sapientiæ, vná cum homine extinguitur. Tunc contrita spectantur pariter, ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & redacta quasi in fauilla æstiuæ areæ, quæ rapta sunt vento, nullusque locus inuentus est eis: & sicut lucerna super candelabrum posita, omnia quæ in domo sunt apparent, qua extincta, præter densissimas tenebras, nihil aliud conspicitur. Sic dum homo huius lucis vsura fruitur, ab omnibus perbelle cernitur, eius opera, eius prudentia, eius fortitudo ob oculos omnium versatur: cum verò mortis falce resectus, è medio sublatus fuerit, nihil aliud nisi cadauer fœtidum, liuore & putredine corruptum ostenditur. Ad hæc notum est, dum vesperus tenebras inducens appropinquat, auium dulcis cantus silet. Deambulationes per prata viridantia, dum noctis caligo adest, homines negligunt, quidamque horror terribilis omnia loca implet: oculi suis deliciis ex aspectu rerum variarum promanantibus priuantur, odoratus sua voluptate, quam in hortis deambulando hauserat spoliatur, aliique sensus à sua iucunda delectatione alienantur. Sic veniente morte omnis voluptatum dulcedo tollitur, aures suauissimos

Vesperus mortem humanã pulchre denotat

Dan. 2.

Simile.

ſimos muſicorum cantus reſpuunt, guſtus cibos etiam exquiſitiſſimos reiicit, oculi viſione rerum variarum non amplius delectantur, manus & pedes, cæteraque alia membra, dolore & languore oppreſſa languent, omniſque lætitia in ſummam vertitur triſtitiam. Reuertebatur olim Iephte in domum ſuam, ex hoſtibus ad internecionem deletis, victoriam cum gaudio reportans, occurrit ei filia, futura Deo per manus Patris victima. *Qua viſa ſcidit veſtimenta ſua & ait. Heu me filia mi decepiſti me, & ipſa decepta es, aperui enim os meum ad Dominum, & aliud facere non potero. Cui illa reſpondit. &c. Dimitte me Pater mi, vt duobus menſibus circumeam montes, & plangam virginitatem meam cum ſodalibus meis.* Egreſſa filia ad ſalutandum Patrem cum lætitia, & audita mortis memoria, ô qualis ſubito oritur fletus & triſtitia: O quam amarus aduentus lethi. Reuerſus Alexander in Babyloniam, multis diebus otio deditus, intermiſſum olim conuiuium ſolenniter instituit, totuſque in lætitiam fuſus cum diei noctem coniunxiſſet, peruigilem à conuiuio Medius Teſſalus inſtaurata commeſſatione, & ipſum & ſodales inuitat. Accepto poculo media potione, repente veluti telo Alexander confixus ingemuit, elatus è conuiuio ſemianimis, tanto dolore cruciatus eſt, vt ferrum in remedia poſceret, tactumque hominum velut vulnera indoleſceret. Venit ad conuiuium Alexander lætitia difluens, omnibuſque voluptatibus ſe ſuaq; mēbra conſecrans, & ecce ſubitaneus mortis pauor omnia vertit in amaritudinē, & extemplo omnia chara, morte adueniente vertuntur in amara. Præterea nocte adueniente, colorem rerum variarum dignoſcere, res eſt plena difficultatis. Omnia enim

O mors quā amara eſt memoria tua.

Iuſtinus lib. 12.

nim quæ oculis obiiciuntur, nigredinem quandam induisse animaduertuntur: quippe in die arborum viridantia folia, flores in hortis quidam rubei, quidam vero flaui & violacei visi, in nocte nigrum induunt colorem. Sic morte in hominum corpora suam crudelitatem manifestante, difficile est Dominum à seruo, diuitem à paupere, doctum ab insipiente, conuenienti differentia seiunctum, animaduertere. Pallida mors æquo pede pulsat Regum turres, pauperrumque tabernas. Ita Dominus moritur cum dolore sicut & pauper, ita pallore, timore, & terrore afficitur diues in hora mortis, sicut & egenus. Moritur doctus, similiter vt indoctus. Eccl. 2. *Vnus ergo introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus.* & S. Amb. in Hexam. *Nudi omnes nascimur, nudi morimur, nulla distinctio inter cadauera mortuorum, nisi forte quia grauius fœtent diuitum corpora, luxuria distenta.* Hinc quidam Philosophus quærenti Alexandro, quid viuus inter sepulchra mortuorum ageret, respondit. ossa se Philippi Regis Macedonum Patris eius diligenter quærere, nec ab aliis ea dignoscere posse; sapientissime admonens, in morte omnes æqualem subire conditionis sortem. Refert Iustinus lib. 12. de morte Darii potentissimi Regis Persarum, rem scitu dignissimam in hæc verba: Vnus ex militibus dum ad fontem proximum pergit, in vehiculo Darium, multis vulneribus confossum, sed spirantem adhuc inuenit &c. quæ vbi Alexandro nunciata sunt, viso corpore defuncti, tam indignam illo fastigio mortem lacrymis prosecutus est. Sed quid mirum? mors enim omnes æquat. In campis sunt varii flores vnus altero pulchrior, iucundior, & odore gratior, sed falce resecti omnes vno modo

Mors omnia æquat.

Eccl. 2.

Darii mors Regia digni tate indigna

modo arescunt, sic homines alii sunt doctiores, fortiores, ditiores cæteris, sed sicut flores egrediuntur, & conteruntur, & fugiunt velut vmbra, & nunquã in eodem statu permanent, eandem cum reliquis mortis Tyrannidem experientes. In Ægypto consuetudo hæc certè humano generi salutaris seruata fuisse perhibetur, vt cum in conuiuiis læti adessent, ne facili negotio in omnem voluptatis luxuriam dissoluerentur, inter cætera fercula, cum maximè genio indulgerent, Caluaria apponeretur, quam manu tenens Paterfamilias viciniori porrigebat, ille verò alteri, & sic vsque ad eum qui vltimum capiebat locum perferretur; his semper verbis additis. Huic similes erimus, memores viuite lethi, ac si dicerent. Nos omnes qui sumus fastigio dignitatum, cæteris præstantiores, doctrinarum variarum cognitione excellentiores, gloria diuitiarum clariores, non alium vitæ statum, quam reliqui homines habebimus morte de medio hominum sublati. Ingredere si placet hortum, pulcherrimis arboribus consitum, omnes in eo arbores viridantibus foliis indutas spectabis: aderit autumnus, & ecce folia Cypressina, & Amygdalina, sicut & quercina, hic inde per terram æqualiter à vento disiecta aspicies. De homine vtique dicitur. *Contra folium quod vento rapitur ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris,* hinc etiam homines sicut folia, in terra positi pedibus viuentium æqualiter calcantur. Notandum dum vesperus appropinquat, bestiæ, & feræ syluestres, lupi, vrsi, leones, è cauernis egrediuntur. Psal: 103. *Posuisti tenebras & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ terræ,* sic morte hominis adueniente aduolant teterrimi

Salubris Ægyptiorum consuetudo.

Simile.

Homines rectè foliis cõparantur.

 rimi

rimi dæmones, beſtiæ infernales, quærentes hominem morti proximum deuorare, quæ duro ſermone (vt olim S. Martinus feciſſe memoratur.) repellendæ ſunt. &c. Quid hic ſtatis cruentæ beſtiæ. Addo. Dum veſperus ingruit, calor ſolaris paulatim tollitur, frigidoque aëre omnia complentur, homines quoque laboribus fatigati, ſeſe cubitum conferunt, veſtibus de corpore depoſitis, omnibuſque negotiis in diem craſtinum reiectis. Sic veniente ſuprema ſenectute, valetudo corrumpitur; quippe ſenectus ipſa eſt morbus, calor naturalis extinguitur, & paulo poſt homines dormiunt ſomnum ſuum. & nihil diuitiarum inueniunt in manibus ſuis. Pſal: 89. *Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur, dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni, ſi autem in potentatibus octoginta anni, amplius labor, & dolor.* 3. Reg: ca. 1. *Et Rex Dauid ſenuerat habebatque ætatis plurimos dies, cumque operiretur veſtibus non caleſiebat. &c.*

Senectute adueniente omnia in homine tepeſcunt.

Ad extremum cum venit veſperus mercenariis pro labore redditur præmium. ſic & hominibus in hora mortis ſoluuntur actus eorum, ſiue boni fuerint, ſiue mali. Matt. 20. *Cum ſero factum eſſet, dixit Dominus vineæ procuratori ſuo, voca operarios & redde illis mercedem. Dixit Paterfamilias,* hoc eſt Deus Pater, procuratori ſuo Chriſto Domino, finito laboris die, vt innueret nobis vitæ noſtræ tempus, (hoc enim per diem ſignificatur) laborandi & merendi tempus eſſe. *Venit autem nox,* ait Chriſtus. Ioan. 9. *quando nemo poterit operari,* hoc eſt tempus mortis, tunc enim tempus eſt iudicii, vbi mercenariis mercedem laboris reddet, otioſis, & qui non laborauerunt, pœna & cruciatus reddetur: inutilem ſeruum proiicite in tenebras exteriores.

Matt. 20.

Ioan. 9.

quod à vobis auertere dignetur, qui sine fine regnat cum Patre, & Sancto Spiritu. Christus IESVS futurus Iudex omnium, cui laus & gloria, sine fine.

AMEN.

SECVNDA ORATIO ECCLESIASTICA

In eadem Dominica.

PVlcherrimæ causæ redduntur, quare postremi cum primis æquale sumpserunt præmium. *Summa Concionis.*

SEptem rationibus viri doctissimi probant, animas Sanctorum post obitum frui Dei visione; quarum prima hæc est. Deus non est pronior ad puniendum, quam ad remunerandum. Quare cum impii iam nunc in tormentis sint, Luc: 16. *Diues autem cum in tormentis esset. &c.* æquum certè videtur, vt etiam iusti præmia sua percipiant. Secunda ratio. Tota Ecclesia inuocat Sanctos post Christi aduentum: cum tamen ante Christi aduentum non legatur id fieri solitum esse. At si Sancti essent etiam nunc sub terra in sinu Abrahæ, non differentem statum à statu Sanctorum Testamenti veteris haberent. Tertia ratio. Ante Christi aduentum Sanctorum mors deflebatur, at post Christi aduentum summa cum lætitia cele- *Belarm: de Sãctorũ beatitudine li. 1. cap. 6.*

celebramus dies mortis Sanctorum. Quare hoc? nisi quia tunc mori miseria erat, nunc est fœlicitatis initium. Quarta ratio ex visionib⁹ eorum, qui viderunt animas alias in inferno, alias in purgatorio, alias in paradiso. Vide Speculum Exéplorum, de cœlesti gloria. Quinta ratio. Si meritum vitæ æternæ sancti non habent, nunquã habebunt, quia post finẽ vitæ non est locus nouis meritis, & nullum est impedimétum, quo minus vitam æternam nunc habere possint, cum cœlum antea clausum nunc pateat. Sexta. Prou. 3. *Spes quæ differtur affligit animam*, at non conuenit, vt ii affligãtur, qui nullum habent peccatum. Septima ratio. Deus Leuit: 19. scribi iussit. *Non morabitur apud te opus mercenarii tui, vsque ad mane*, ergo ne Deus contrarius sibi ipsi videatur, non retinebit mercedem Sanctorum, vsque ad mundi consumationem. Quod idem in hodierna sacri Euangelii lectione insinuasse colligitur, qui finito die, mercedem operariis reddi imperat. Sed hoc satis mirari nequeo, cur postremis, æquale cum primis prœmium tribuitur? Causas quarum ergo id factum est referam, beneuolas præbete aures.

Leu. 9.

Quam quisq; legem tulit, eam & ipse ferat necesse est.

AVE MARIA.

1.

PRimam causam, cur postremi cum primis æquale sumpserunt prœmium, eam esse inuenio Auditores, quia illi primi non confestim ad imperium Patrisfamilias, sese ad vineæ labores subeundos contulerunt, sed multa colloquia de pretio laboris cum illo communicauerunt, dicente Euang: *Conuentione autem facta.* At hi postremi nullam mentionem prœmii facientes, ad nutum Patrisfamilias ad vineam iuerunt,

Prima causa cur postremi æqualem sũpserunt mercedem.

runt, & celeri motu manus labori admouerunt, solis verbis imperantis contenti, & gratiæ eius confisi. Attendite. Sunt perquam multi, qui adseruiendum Deo, & renunciandum diabolo, sese vix multis illisque vehementibus concionibus, exhortationibus, variisque admonitionum stimulis induci & attrahi patiuntur, qui recte assimiliantur Crocodilo, *Crocodilus non curat ictus lapidum* cui tanta duritia est, vt quamuis fortium lapidum ictus in tergo recipiat, nihil curet, sic plurimi corda sua non emolliunt ad duras increpationes diuinas. Talis olim fuit Pharao Ægyptiorum Rex, qui verbo & signis per Moysen editis moueri non potuit, vt populum dimitteret, atque verum Deum, ex eius Exo. 15. mirabilibus operibus agnosceret: atque ideo pertinaciter, ipsum iam abeuntem insequens, in mari rubro cum suis periit. Ezechiel quoque ad populum Israeliticum missus, vt verbum Domini ei annuntiaret, Ezech. 3. verum illud audire domus Israel renuit, quippe quæ attrita fuerit fronte & duro corde. Multi igitur sunt qui callos obducunt diuinis vocibus, nec minus commouentur, sed semper in aliud tempus pœnitentiam differunt dicentes: Dominus benignus & misericors est, & præstabilis super malitia. *Viri Niniuitæ* (ait Christus Dominus) *surgent in iudicio*, & damnabunt hos peccatores, quia mox vt audierunt Matt. 12. prædicationem Ionæ, sine vlla mora, sine vlla cunctatione, se pœnitentiæ dederunt, possent enim dicere: Adhuc quadraginta nobis dies sunt, in quibus non subuertetur Niniue, possumus triginta nouem diebus luxui indulgere, & voluptatibus vacare, & vltimo die pœnitentiæ operam dabimus, Deus enim patiens & longanimis est, & multæ misericordiæ, &

Salubre fuit consilium Niniuitarũ.

quacunque die peccator ingemuerit peccata, ignoſcet illi, & ad ſuam amicitiam reſtituet, illi autem vti viri ſapientes noluerunt in re tanti ponderis & momenti, moram interponere, ſed mox vt audierunt prædicationem Ionæ pœnitentiam egerunt. Audietis iniqui peccatores verba illa Prouerbiorum I. per Spiritum Sanctum prolata, tempore ſuo contra vos prolata. *Vocaui & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam.* Qui verò nulla interpoſita mora, ſemel à Chriſto vocati, ſeſe eius voluntati explendæ ſubiiciunt, maximis cumulantur meritorum gratiis; quippe qui cito dat bis dat, & qui hodie audit vocem Domini, & non obdurat cor ſuum, ſed ſicut Dauid voce Nathan Prophetæ excitatus, à peccatis reſurgit, merebitur illam deſiderabilem vocem audire, *transtulit Dominus peccatum tuum.* Hinc tales homines, aſſimilantur crucibus. Debent enim diuinæ voci obedire velociter. & hoc ſignificãt crura, quæ à currendo ſunt dicta: quia per ea currimus & egreſſum facimus, vt ſignificetur obediendi velocitas, iuxta illud. *Velociter currit ſermo eius,* tunc enim ſermo Dei currit velociter, quando ab homine obediente impletur celeriter. S. Ber. in lib. de Præcep: & diſpen: Verus obediens non procraſtinat, ſed ſtatim parat aures auditui: linguam voci: pedes itineri: manus operi: & ſe totum intus colligit, vt mandatum expleat imperantis. Adhæc tenetur homo Chriſtianus voci diuinæ obedire fortiter, ne videlicet facili negotio retrahatur ex operis difficultate, & hanc fortitudinem ſignificant crura: quæ habent oſſa fortia, & etiam ſunt neruoſa, vt ad mo-

Obedientiæ, veræ ſignũ celeriter explere mãdatum imperantis.

ad motum ſint habiliora. Sic Chriſtiani ad obediendum voci diuinæ debent eſſe fortes, ad exequendum & tolerandum grauia, nullaque illis obſtacula admittenda, quòminus diuinis præceptis ſatisfaciant, ſi quidem Deus adiutor eſt, ad omnia impedimenta tollenda. Olim populus Iſraeliticus mandato Dei in terram promiſſionis proficiſcens, multis impedimentis præpediebatur, ſed cuncta illa impedimenta facile Deus expediuit. nam Deus mare diuiſit, & iter illis aptiſſimum fecit, & ſuper inimicos eorum reduxit aquas maris, & cum illis poſt tranſitum maris panis deficeret, pluit illis manna de cœlo, panem Angelorum manducauerunt, eduxit etiam aquam de petra, & de petra melle ſaturauit eos. Iordanis quoque conuerſus eſt retrorſum. Nonne vides quot quantaque impedimenta contra pergentes in terram promiſſionis militabant? ſed tamen Dominus adiuuit eos, & abſtulit potentia ſua obſtacula cuncta. Tandem debent obedire voci diuinæ homines Chriſtiani dulciter, quod ſignificant crura: quorum oſſa medulla ſunt plena: vt medullæ humectatione oſſium ſiccitas irrigetur. Hæc ergo medulla eſt interior deuotio, qua irrigati interius veri obedientes, omnia dulciter & ſine murmure exequuntur: quia non obediunt timore ſed amore, vt inquit S. Gre: 12. Moral: *Obedientia non ſeruili metu, ſed charitatis affectu ſeruanda eſt: non timore pœnæ, ſed amore iuſtitiæ.* Beatus Antonius Abbas, parentibus è præſenti vita ſublatis, annorum circiter decem & octo ſeu viginti, cum ſorore admodum paruula derelictus, & domus & ſororis honeſtam curam gerebat. In hac itaque pia ſollicitudine & cura, ſexto iam menſe conſtitutus, cœpit ardentiori

Obediendum eſt Deo cum quadam interna dulcedine deuotionis.

In vita eius per Athanaſ. Epiſc. Alex. conſcripta.

tiori mentis ſtudio recolere Apoſtolicæ vitæ puritatem, quomodo ſpretis mundi opibus, & honoribus, in extrema rerum omnium inopia, ſe totos ad Chriſti diſciplinam adiunxiſſent, atque ſpem omnem excelſo animo in cœlis repoſuiſſent. Hæc aliaque aſſidua mente pertractans, cum Eccleſiam ingreſſus, locum illum Euangelii quo Dominus diuitem compellauerat, ſi perfectæ vitæ rationem aſſequi vellet, omnia diuenderet, & pauperibus diſtribueret, atq; pro iis ſempiternum in cœlis theſaurum reconditum inueniret, legi audiſſet: protinus bonam facultatum ſuarum, quas habebat ampliſſimas, partem diſtraxit, paucis admodum in vſus ſororis, quæ & ſexu, & ætate videbatur infirmior, reſeruatis. Alio dein tempore, religioſa animi pietate Eccleſiam frequẽtans, cum alium Euangelii locum, quo Dominus nihil nos de craſtino ſollicitos eſſe iubet audiſſet, reliqua bonorum portione pauperibus diſtributa, omnibus ſe terrenarum cupiditatum vinculis ſoluit, & ſororem ſacris Chriſto virginibus commendauit, ipſe verò arduum aſperumque vitæ inſtitutum arripuit. O admirabilem obedientiam ad explendum mandatum Dei: ô ſtupendam promptitudinem ad ſonitum vocis diuinæ, ô verè imitandam celeritatem in exequenda diuina voluntate. Quoniam igitur hi nouiſſimi operarii, nullo præmiſſo contractu de pretio ſibi tribuendo, libenter audita voce Patrisfamilias ad vineam eius venire non diſtulerunt, æquum & dignum erat, vt æquale cum primis prœmium aſſequerentur. *Altera ratio eſt.* Primi illi ea intentione, in vinea Patrisfamilias, laboribus ſuos humeros ſupponere voluerunt, vt ſole ad occaſum

Sacri Euangelii in bonorum animis efficacia.

Altera cauſa congruẽtiſsima.

ſeſe inclinante, groſſum, mercedem debitam acciperent, at nouiſſimi poſtpoſito omni pretio, nec propter mercedis beneficium, ſed propter Patrisfamilias voluntatem & imperium, vineam ad laborandum in ea ingreſſi ſunt. Sunt per quam multi, qui à peccatis ſe abſtinent, diuinas leges & præcepta cuſtodiunt, in operibus bonis ſe exercent, ſed nullam aliam ob cauſam, quam quod Deus pro his pretium eis annumeret, vel terrenarum vel cœleſtium opum: iuxta illam Dauidis ſententiam. *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes, propter retributionem.* Alios autem videre licet. qui Deo adhærent eumque amant propter ſeipſum, qui amor à Theologis amor amicitiæ nuncupatur, hoc eſt ſicut verus amicus amat amicum ſuum, propter ipſummet amicum, amans v. g. diuitias eius, non ſibi, ſed ipſi amico, & ſanitatem, & proſperitatem, & ſapientiam & virtutes, non quatenus inde ſibi aliquod bonum prouenire poſſit, ſed quatenus ſunt bona amici, vt ſibi velimus hæc eum habere, non vt ſibi his prodeſſe poſſit amicus, ſed vt ipſe amicus his bonis abundet. Sic & nos amare debemus Deum, vt ſcilicet abſolutè, velimus eum eſſe omnipotentem, omniſcientem, æternum, infinitum, ſummè bonum, ſummè glorioſum. Vnde ratione affectiua & vnitiua dicere debemus Deo. Gaudeo Domine mi, te Omnipotentem eſſe, infinitamq; habere ſapientiam, bonitatem, & cætera attributa, habeto illa Deus meus in æternum. &c. Ludouicus Vndecimus Galliæ Rex, Delphinus adhuc exiſtens, cum non infrequenter venationi operam daret, ruri (vt ſolent ſyluas, & nemora peragrare venatores) plerumque diuerſabatur in humili caſa ruſtici

Pſal: 118.

Amor amicitiæ quomodo intelligatur.

Deus propter ſe amandus.

Hiſtoria ſcitu digniſſima.

cuiusdam, cui nomen *Conon*, quo cum rapas non semel Ludouicus in cœna sibi ab eo datas comedisset: factus postea Rex, rusticus ab vxore monetur, vt Regem adeat cum bona spe, quid muneris ab eo accipiendi. Acquiescit vxoris consilio, & vna confert repas sui agelli præstantiores, Regi dono daturus, quas tamen nec omnes detulit, pressus in itinere fame, qua factum vt omnes absumeret, vna eaq; grandiuscula excepta. Simul atq; ergo ad curiā venit, agnitus à Rege, iussusq; propius accedere, é vestigio rapā suā hilari vultu, Regi porrigit, quā ambabus Rex manibus, lætaq; frōte accipit, recōditq;, quo pretiosissimas quasq; res. Interea prandio bene exceptum, missum illum facit, 1000 aureis remuneratum, quod cum ab aulico quodam notatum esset, credés bonus vir Regis liberalitatem vniusmodi esse, atq; tantumdem se acceptum, si quid ei donaret, equum offert miræ alioquin elegantiæ: quo accepto secum cogitauit Rex, quid pro illo munere redderet; tandem producit rapam probe inuolutam & aulico donat, quo abire iusso, domum petit, qui non prius aduenit, quam rem datam (thesaurum esse credens) explicat vbi nihil aliud quam rapam, contra quam existimabat inuenit. Queritur ergo apud Regem quasi per errorem is lapsus esset, rem vnam pro alia sumédo; cui Rex: profecto bene tuus equus à me emptus est, præmio & munere tibi dato, quod mille aureis mihi constitit atque ita elusum dimisit: sapientissimé insinuans, donum eius quia propter retributionem sibi oblatum fuerat, digniori remuneratione non fuisse compensandum. Non enim ille aulicus Regem honorabat, sed aurum exquirebat, nec Regem,

gem, sed thesaurum Regis desiderabat: Simili ratione Deus Omnipotens intuetur cor, & non sacrificium, sed causam & intentionem sacrificii oblati considerat. Si igitur oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit, si propter solum Deum eiusque gloriam omnia aggredi tentaueris, absque dubio æternum in cœlis præmium consequeris. *Non virtus sed causa virtutis apud Deũ est meritoria gratiæ eius.*

Tertia ratio. Voluit Christus Dominus hominum mentibus inculcare, sibi id vel maximè cordi esse: Non quam diu sed quam benè. Maiori enim laude miles dignus esse censetur, qui semel in aciem progressus hostem fortiter vicit, & terga vertere compulit, prædam diripuit, castraque igne solo æquauit, quam ille qui toto decennio in castris otiosus delituit. Hoc modo melior est apud Deum ille Christianus, qui peccatis omnibus de corde suo in æternum exilium expulsis, & cœlestibus armis fulgens, in arenam descendit, mundo, carni, diabolo, resistit, orationibus, ieiuniis, vigiliis, ciliciis, aliisque spiritualibus exercitiis inhærendo, quam ille qui in via quidem iustitiæ stat, sed contentus eo, quod mortali careat vitio, de virtute in virtutem procedere negligit. Quod Deus omnipotens manifestum facere desiderans, multis exemplis, post vana crimina perpetrata susceptam feruenti animo pœnitentiam sibi vehementer placuisse demonstrauit. Vnum atque alterum in medium afferre placet. S. Bonauentura in vita B. Francisci refert, militem quendam supplici cum deuotione, ad S. Franciscum accessisse, & eum cum instantia magna inuitasse ad prandium. Venit itaq; Sanctus vir ad militis domum. Ante verò quàm cibum sumerent, iuxta solitum morem, vir mente

Hospes Sancti Francisci admonitione eius ad pœnitentiam & cōfeßionem inductus, in mensa subito spiritū exhalauit.

deuotus, offerens Deo preces & laudes, oculis stabat eleuatis in cœlum. Oratione completa, benignum hospitem familiariter aduocatum, sic allocutus est. Ecce frater hospes tuis victus precibus, vt manducarem domum tuam intraui, meis nunc cito monitis acquiesce, quoniam non hic, sed alibi manducabis: confitere nunc peccata tua, veræ pœnitentiæ dolore contritus, nec in te remaneat quidquam, quod veridica confessione non pandas. Reddet tibi Dominus hodie vicem, quoniam tanta deuotione suos pauperes suscepisti. Acquieuit continuo vir ille sermonibus Sancti, socioque ipsius vniuersa peccata, in confessione detegens disposuit domum suam, & ad mortem suscipiendam se, quantum voluit præparauit. Intrauerunt tandem ad mensam, & incipientibus aliis manducare, hospes subito spiritum exhalauit, iuxta verbum hominis Dei repentina morte sublatus, sicque factum est hospitalitatis gratia promerente, vt iuxta verbum veritatis. Prophetam recipiens, mercedem Prophetæ acciperet, dum per sancti viri prænunciationem prouidit, quatenus armis pœnitentiæ præmunitus perpetuam damnationem euaderet, & in æterna tabernacula intraret. Hic miles breui tempore in vinea Domini laborauit, sed Deus Omnipotens non aduertit quàm diu, sed quàm bene, nouissimus fuit, & sine dubio prœmium cum primis accepit, quod nobis largire dignetur, qui sine fine viuit & regnat. AMEN.

Merces hospitalitatis.

ORATIO

ORATIO ECCLESIASTICA

In Dominica Sexagesimæ.

Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt, & à sollicitudinibus, & diuitiis, & voluptatibus vitæ suffocantur. Luc: 8.

DIuitias, voluptates, aliaque mundi bona, esse spinas pulcherimo discursu ostenditur. *Summa Concionis.*

VErbi Diuini præcones, hominum animos, à vanis voluptatum illecebris auocare desiderantes, variis rationum argumentis, ad id fæliciter præstandum, vti consueuerunt, Auditores in Christo dilecti. Quidam testimoniis Sacræ scripturæ hic inde collectis, vehementem terrorem hominibus voluptuosis incutiunt, minacem illam Christi sententiam auribus eorum inculcantes: Væ vobis qui consolationes vestras habetis. Alii vero exemplis eorum, quibus malo voluptates, cæteraque bona mundi steterunt, homines abstrahere, ab earum pellita iucunditate nituntur. Salomonem virum talem & tantum, ab indomita & prohibita libidine in idolatriam prolapsum fuisse, Dauidemque commisso adulterio in cædem Vriæ cecidisse clamitantes. Plerique ob oculos ponunt præclaræ indolis iuuenes, qui semper summo odio persecuti sunt vanas voluptatum dulcedines. Qualis fuisse Spurina Romanus narratur,

3. Reg. 11.
1. Reg. 12.

narratur, miræ adolescens pulchritudinis, qui cum eximia specie, complurium fæminarum illustrium sollicitaret oculos, ideoque viris ac parentibus earum se suspectum sentiret, oris decorem vulneribus confudit, deformitatemque, sanctitatis suæ fidem, quam formam irritamentum alienæ libidinis esse maluit. Mirum profectò castæ mentis argumentum. Ego quoque ad eundem, sagittam dirigo scopum, corda vestra ab omni fœdissima voluptatum libidine procul abesse desiderans, relictis supra enumeratis ad id efficiendum mediis nouum quoddam remedium subiiciam, nempe voluptates, diuitias aliaque mundi bona, spinas esse declarabo.

Sunt verba Valerii.

AVE MARIA.

GEn: 3. Dixit Deus ad Adam: *Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, spinas & tribulos germinabit tibi.* Quo in loco manifestè Dominus loquitur, terram nihil aliud omni ætate, ex visceribus suis edituram, nisi spinas, & tribulos, &c. attamen habet argentum venarum suarum principium, & aurum locum in quo conflatur in visceribus terræ, arbores quoque dulcissimos fructus proferentes è terra prodire spectamus, &c. vno verbo, quidquid in terra est, omne illud ex terra originem trahit, quomodo igitur terra spinas germinare dicitur, cum sit fertilis mater, & procreatrix auri & argenti, gemmarum, pretiosorumque lapidum? An fortassis aurum & argentum, lapidesque pretiosos, nomine spinarum appellandos dixerimus

Gen: 3.

Terra quidquid ex se generat, illud totum spinæ sunt.

dixerimus? ita oportere fieri absque dubio respondeo, nam si omnia bona terræ spinæ non essent verba Dei (quæ cœlis & terra transeuntibus illa non transibunt) falsitatis notæ obnoxia dicerentur, quæ manifestè sonant, humano generi, in pœnam nihil aliud de terra, nisi spinas & tribulos producendos. Ergo omnes diuitiæ aurum & argentum, lapides pretiosi, voluptatum illecebræ, libidinum deliciæ, aliaque mundanæ consolationes. spinas esse sit necesse. Et hoc ipsum ex proprietatibus spinarum perbelle intelligere poteritis. Prima proprietas spinarum est, quia spinæ sunt plantæ, seu virgulta infructuosa, fructus earum videntur esse vuæ pulcherrimæ, eos si comederis subito tibi obstupescent dentes. Voluptatum & diuitiarum fructus esse vilissimos & nullius vtilitatis patet. Nam hæ suffocant semen verbi Dei, & hoc propter tria. 1. Quia humorem terræ exhauriunt, vt nihil suppetat semini, sic diuitiæ & voluptates, benedictionis diuinæ imbrem tollunt. Dicitur enim Matt. 5. *Beati pauperes spiritu quoniam illorum est regnum cœlorum.* Ergo contrarium verum erit. Maledicti diuites, quoniam ipsi regno cœlorum priuabuntur. Luc. 6. *Væ vobis diuitibus qui habetis consolationes vestras, facilius est camelum per foramen acus transire quam diuitem intrare in regnum cœlorum.* 2. Solem & imbrẽ excludunt. Similiter voluptates & diuitiæ, Christum Dominum qui est verus sol iustitiæ, ne gratiæ diuinæ fulgentibus radiis corda illustret humana, impediunt. Hic enim Dominus ab omni diuitiarum, & voluptatum consolationibus, sicut nos à serpentino morsu, abhorret, & vt hominibus sibi earum vsum displicere manifestaret, *cum in forma Dei esset, seipsum*

Verba Dei semper manẽt nec mutari possunt.

Fructus voluptatum inutiles.

Christus Dominus osor voluptatum & diuitiarũ

psum exinaniuit formam serui accipiens in similitudinem hominum
2. Cor: 8. *factus, & habitu inuentus vt homo.* Solem inquam diuitiæ & voluptates excludunt, nam gratiam diuinam lucere in mentibus humanis non permittunt diuites enim plerumque superbos assumunt spiritus dicen-
Ad Tim: 6 te Sancto Paulo. ad Tim. 6. *Diuitibus huius sæculi præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum.* Superbi vero gratia diuina semper indigni esse sacræ scripturæ testimonio conuincuntur. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam suam.* 3. Crescentes è terra aristas impediunt, sic diuitiæ & voluptates, bona proposita extinguunt, ne homo ea perficiat, & exhibent se fortissima virtutum impedimenta. S. Hiery: ad Paul. Epistoia 13. *Crates ille Tebanus quondam ditissimus, cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abiecit, nec putauit se simul diuitias & virtutes posse possidere.* Elias S. Propheta Domini demisit pallium. Et Ioseph relicto in manu dominæ pallio fugit, & egressus est foras, qui igitur vult cœlum assequi, deponat sarcinas diuitiarum, & qui vincendi tentationes, & obtinendi virtutes desiderio æstuat, voluptates huius mundi & diuitias, in manibus huius sæculi relinquendas esse, omnino sibi persuadeat. Ratio autem est quare diuitiæ & voluptates tollunt virtutes, quia captiuant cor hominis ad amorem suum. Carnalis enim homo & libidini deditus, non habet cor quod suum sit: quia est concubinæ ac meretricis: ideoque dicere solet, illa mihi cor meum abstulit. Vnde Dauid Rex cum in illicitum alienæ vxoris amorem exarsisset, atque adulterio perpetrato errorem suum agnouisset, dolens de lapsu suo dice-
Psal: 38. bat: *Et cor meum dereliquit me.* Gulosus non habet cor quod

Diuitiæ & voluptates simul cũ virtutibus esse non possunt.

quod ſuum ſit, quia crapulis, & ebrietatibus immerſum eſt. Vnde Oſeas: *Fornicatio, vinum & ebrietas auferunt cor.* Auarus non habet cor quod ſuum ſit, quia mercibus & ſcrinio, in quo theſauros auri & argenti cõſeruat incluſum eſt, nam veriſſime à Chriſto Domino dictum eſt. *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi & cor tuum.* Vnde S. Antonius de Padua, vir Prophetico ſpiritu plenus, in concione funebri, pro vſurario habita, ait: Mortuus eſt diues, & ſepultus in inferno. Ite ad theſaurum eius, & in illius medio inuenietis cor eius. Corpore iam humato, abierunt parentes, & amici, & cor adhuc calidum inter nummos inuenerunt. Simile huic exemplum refert, Proſp. in libro de dono timoris. Auarus quiſpiam pecuniæ amantiſſimus, poſtquam plurimas diuitias congregaſſet, & de iis nihil pauperibus vnquam diſperſiſſet, aut aliis pietatis officiis impendiſſet, ſubita morte raptus eſt, Cadauere autem eius, à parentibus & amicis præſentibus aperto, vt ab iis diſpiceretur, quænam tam repentinæ mortis cauſa fuiſſet, cor in eo non fuit inuentum. Vnde admiratione rapti ſinguli, adierunt ad mortui cubiculum vbi theſaurus eius erat, atque ciſta aperta cor hominis inueniunt, inter manus dæmonis, qui inſtar draconis ſuper hoc ſedebat, atque in varias partes diſcerpebat: dixitque aſtantibus. Hoc aurum & argentum pretium eſt cordis, quod mihi vendidit amicus veſter, ideoque iure meum eſt eoque pro arbitrio vti poſſum. Eſt genus quoddam ſpinoſæ plantæ quod ferunt in Ceo, teſte Ariſtotele, cuius ſpinis ſi quis percutitur, moritur: eodem modo, qui diuitiarum & voluptatum delectatione in corde vulneratur, Deo moritur, & ad virtutes am-

Oſe. 4.

Matt. 6.

Cor auaritiæ dicatum fit præda diaboli.

Ariſt: lib: de Admir: ca. 139.

plectendas omnino inhabilis redditur. Testatur Strabo lib: 15. vidisse se plantam lauro persimilem, quam gustantes belluæ abalienatæ, quasi Herculeo morbo concidunt ore spumantes: sic homines propter diuitiarum & voluptatum gustum, fiunt sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, nihil de anima rationali solliciti, sed sicut bruta animalia de his tantum quæ corpori nutriendo conducunt curam adhibentes. In Hispaniola insula arbor est, cuius fructus pyris muscatis persimilis est, iucundo odore vsui quoque gratissimus, verum pestiferi succi. Nam Indi illo sagittas obliniunt, veluti veneno. Mirum aliud si quis sub ea obdormierit, breui temporis momento, grassante vi capitis dolorem persentit, intumescentibus oculis, superciliis, atque ipsis etiam maxillis, quin si ros, ipsa ab arbore in faciem hominis illabatur, aut obcæcat, aut multo dolore torquet, vredineque ipsam etiam cutim vlcerat: sin huiusmodi lignum comburatur, nemini tutum est illo igne calefieri, illico enim capitis dolorem gignit, ab illo etiam igne omnia animantia abstinent. Non diuersi fructus de palmitibus voluptatum, & diuitiarum prodire animaduertimus. Sunt enim veneno perniciosissimo infectæ, quo sagittas suas teterrimi dæmones inficientes, animas humanas lethali plaga vulnerant, videlicet ardore habendi, libidine dominandi, arrogantia sese cæteris præferendi, gignunt etiam capitis dolorem, cum vehementi metu eas amittendi, hominem exagitant. Insuper cæcitate animas hominum percutiunt, quippe carnalis homo, non videt nec cognoscit, in voluptatibus & diuitiis pœnam æternam, & malum sine fine.

Ouetus histo. lib. 9. c. 12.

Perniciosi fructus voluptatum.

ſine pallio iucunditatis coopertum. Ignis quoque huius ſpinoſæ plantæ (intellige ſummum deſiderium augmentandi bona temporalia) vehementer capiti, & ſanitati corporeæ, multo magis ſpirituali officit, multaque nocumenta affert. Adhæc ſpina dolorem creat dum infigitur, & cum infixa manet, & cum extrahitur, ſic diuitiæ & voluptates magno labore & ſollicitudiue acquiruntur, in timore poſſidentur, cum dolore amittuntur. 1. Acquiruntur cum labore, quia nulli de cœlo aſſa columba venit, diique laboribus omnia vendunt. Pro. 6. *Anima laborantis laborat ſibi compulit enim eum os ſuum*, & Eccl: 5. *Cunctis diebus vitæ ſuæ comedit in tenebris, & in curis multis, & in ærumna, & in triſtitia*. Quære ex Mercatore, quare parce ſomno indulgeat? æſtus ſolis, & moleſtiam frigoris ſuſtineat? cur tam longa itinera peragrare audeat? tempeſtates ingruentes, aliaſque itineris difficultates libenter ſubire præſumat? ſine mora reſpondebit, vt acquiſitis diuitiis, tandem cum voluptate illis perfruatur. Quære ex agricola cur ſummo mane in agrum exeat? quare ſolis ardoribus ſeſe exponat? reſpondebit vt lætas ſegetes poſſideat, & ex illis poſſeſſis voluptatem aliquam percipiat. O quãto cum labore veniunt bona mundi. 2. In poſſidendo timore. Timet enim diues ne theſaurum ſuum fur auferat, ignis conſumat, aut caſus aliquis perdat. Sigiſmundo Cæſari allata erant ex Hungaria aureorum quadraginta millia, cum autem adueſperaſſet, eaque in thalamo Regio recondita fuiſſent, in cubiculum veniens Cæſar, dum cogitat in quemnã vſum eam pecuniam conuertat, ſomnus eum deſtituit. Tum ille excitatis cubiculariis: Ite, inquit, ocyus

Prou: 6.
Eccl.: 5.

Consiliarios, Ducesque omnes militum huc accersite, vocati Proceres media nocte trepidi (timebant enim ne quid aduersi accidisset) Imperatorem celeriter adeunt, & quæ causæ sint tam repentinæ vocationis inquirunt, Imperator confestim aperta arca, inter eos qui aduenerant pecunia distributa, Ite, inquit, vt securè tranquilleque nobis dormire liceat; nam quod mihi somnum ademerat, iam procul aberit à cubiculo. De voluptatibus idē esto iudicium. Quidam conspecto alueo, intra quem apes acquiescerent, accessit & aperuit illum auidus mellis, tum in ipsum apes facto impetu inuolant, & quæcunque partes in corpore patebant, eas configunt aculeis suis: hic verò pessimè acceptus vix fuga se eripuit, & periculum euasit. Quem conspicatus alius quod esset ore tumido, & vlcerato, causam mali sciscitatur, hic verò quæ sibi accidissent narrat, tum ille: semper, inquit, in alueo cum melle apes manere noueris, docens voluptates cuiuscunque generis sint, cum dolore esse permixtas. Eccles: 2. *Et dixi in corde meo. Vadam & affluam deliciis, & fruar bonis, & vidi quod hoc quoque esset vanitas & afflictio spiritus.* de diuitiis vero dicitur Eccl. 5. *Dulcis est somnus operanti siue parum siue multum comedat, saturitas autem diuitis non sinit eum dormire.* 3. Dolor in amittendo, Eccl. 5. *Auarus non implebitur pecuniis, & qui amat diuitias fructum non capiet ex eis, &c. pereunt enim in afflictione pessima.* Videre enim licet, cum diuitias fur aufert, vel ignis comburit, vel tinea demolitur, diuites lamentationibus & clamorosis vocibus omnia loca implere, amarè flere, crines capitis euellere, pugnis faciem suam cædere, alios vero seipsos suspendio necare, violentas manus sibi inferre, aquis suffo-

Æneas Syluius lib: 5. Com: in res gest. Alphon.

Eccl: 2.

Eccl: 5.

ſuffocare, de montibus præcipites cadere. Verè diuitiæ pereunt in afflictione peſſima. Ingens enim dolor corda diuitum excruciabit, cum ea quæ cum maximo labore congregauit reliquenda eſſe animaduerteret. Pſal: 48. *Ne timueris, cùm diues factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius, quoniam cum interierit, non ſumet ſecum omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius.* Pſal: 48. Magna inquã triſtitia orietur diuitibus ex hoc mundo diſceſſuris, cum viderint ſuas facultates in alienas manus venturas. quippe: *Relinquet alienis diuitias ſuas.* Iob 21. *Diues cùm dormierit nihil ſecum auferet, aperiet oculos ſuos & nihil inueniet.* Iob 27. Verè ergo diuitiæ pereunt in amaritudine peſſima. O mors quam amara eſt memoria tua homini bene habenti in ſubſtãtia ſua. Præterea ſpinæ ſunt veſtium laceratiuæ, ſic diuitiæ lacerant interiores veſtes virtutum. Vnde Greg: in hom: 20. ſuper illud Exiit. *Diuitiæ ſpinæ ſunt, quæ cogitationum ſuarum punctionibus, mentem humanam lacerant, & cùm vſque ad peccatum pertrahunt, quaſi inflicto vulnere cruentant.* Greg: hom: 20. ſuper illud. Exiit. Inſuper ſpinæ ſunt latibula venenatorum animalium, ſic vbi magnæ opes, ibi faſtus, ambitio, luxus, gula, commeſſationes, ebrietates, fornicationes, &c. 1. Tim: 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* Addo. Spinæ ſunt ignis incenſiuæ, ſic & diuitiæ ſunt nutrimentum cupiditatis, in præſenti, & incendium inextinguibile in futuro. *Exarſerunt ſicut ignis in ſpinis.* Baruch 3. *Vbi ſunt qui argentum theſaurizant, & aurum in quo confidunt homines, exterminati ſunt, & ad inferos deſcenderunt.* Voluptates quoque non diuerſam ſumpturæ ſunt mercedem, S. Iob atteſtante: *Tenent tympanum & cytharam, gaudent ad ſonitum organi, ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad infernum deſcendunt.* Iob 21.

descendunt. Apoc: 13. *Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Vidistis itaque auditores, diuitias & voluptates nihil aliud nisi spinas esse. Nō igitur amplius illarum illecebris capi vos & decipi patiamini, sed thesaurizate vobis thesauros in cœlis, vbi non ærugo corrumpit, non fur aufert, non tinea demolitur, sed omnia in æternum durant, & in æuum. Quæ enim vtilitas in spinis? qui fructus ex tam abiectis plantis expectandi? nisi tribulationes, dolores, animi afflictiones? Cœlestia ergo potius, & non terrena bona quærite, vbi vobis in æternum manendum est, hic autem estis hospites vnius diei. Quibus bonis vt aliquando gaudeamus præstet hoc nobis adoranda Trinitas, cui laus & gloria sine fine.

Conclusio.

AMEN.

SECVNDA ORATIO ECCLESIASTICA

In eadem Dominica.

Aliud cecidit in petram.

Summa Concionis.

VErbum Dei nihil prodesse obstinatis in peccato, quia petra sunt.

Inter

INter omnes creaturas nulla eſt, quæ minus Diuinis verbis obſequatur, quæque minus recognoſcat maieſtatem dominii Diuini, quàm homo. Ad nudum enim eius mandatum *cœli firmati ſunt*, & iugi regularique motu perpetuo procedunt. *Silet ventus ad illius vocem, & mare à feruore quieſcit*, & terminos ſuos nullatenus excedit, quia audit vocem Dei dicentis: *Huc vſque venies, & non procedes amplius*: terra perpetuo generat, quæ ſibi generanda Deus præcepit. Quod egregie Dauid expreſſit. *In æternum Domine verbum tuum permanet in cœlo, &c. fundaſti terram & permanet.* Omnes res creatas, inquit D. Auguſtinus, voluit Dauid complecti, eas exhibens obedientiſſimas præcepto Diuino, dum cœlum & terram percurrit. In cœlo permanet verbum Dei. In terra perpetuo id fit quod Deus fieri ſtatuit dicens: *Germinet terra herbam virentẽ, &c. & lignum promiferum.* Solus homuncio, Diuinis verbis ſe exhibet rebellem, & eſt is, de quo Deus conqueritur dicens: *Rupiſti iugum, ſoluiſti vincula, & dixiſti non ſeruiam.* Cum autem diligenti conſideratione inſpicio, quam ob cauſam homo iniquus Diuina verba ſurda aure percipiat, & forti eorum ſonitu non moueatur ad explenda Diuina mãdata, eam eſſe aduerto, quod videlicet homines huiuſmodi corda habeant petroſa & lapidea, verbum autem Diuinum, in petra dura ſuos effectus nequit producere, ſed hac de re fuſius in ipſa concione.

Pſal: 32. Eccl: 43. Iob: 38. Pſal. 118. In Pſal: 118. Gen: 1. Ier. 2.

AVE MARIA.

VIdiſtis aliquando grandem pluuiam de denſiſſimis nebulis in terram cadere, quæ penetrans terræ viſcera, pulchros & odoriferos producit flores, &

res & ariſtis creſcentibus, vt quam citiſſime ad maturitatem feſtinent, adiumentum præbet, arborum folia purgat, & fructus earum augmentat, hortos irrigat,& Patremfamilias lætificat. Vidiſtis inquam hos pluuiæ effectus, & vt exiſtimo aduertiſtis aliquando, eandem pluuiam ſuis vberrimis guttis ſaxoſas petras percutere, ſed omnes quaſi repulſam paſſas à nimia earum duritie retro cedere, reddit quidem pluuia petram de ſuper madidam, ſed interiora eius non penetrat. Prædicationem verbi diuini eſſe pluuiam ſuperioribus concionibus declarauimus, hæc igitur pluuia hominum humi ſerpentium, & ſe terræ filios agnoſcentium præcordia penetrabili effectu ingreditur, varioſque virtutum flores, & ſuauiſſimum bonæ famæ odorem ſpirantes producit, altiſſimas arbores (intellige viros probos in virtutum Palæſtra Proceres & Magnates) à minimis aranearum telis expurgat, homines vero corde duro & ſaxoſo, ad meliorem vitæ ſtatum reducere non valet. Referam vobis, iucunda quæque auribus veſtris, de variis pluuiarum ſpeciebus. Liu: decad. 1. lib: 1. In Albano monte ait impetu pluiſſe lapides biduum continenter. Quod etiam è ſacris literis apertiſſimum eſt. Ioſu: 10. his verbis. Quinque Regibus Amorrhæorum congregatis aduerſus Ioſue, Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de cœlo, & mortui ſunt multò plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percuſſerant filii Iſrael. Platina quoq; in Ioanne XIII. ſcribit, ſæuiente ventorum & imbrium procella, lapidem miræ magnitudinis è cœlo cecidiſſe in Italia. Sed & Modognetus in vita M. Aurelii Imperatoris. lib: 1. ca. 25. teſtatur, Conſtantinopoli,

Verbum Dei eſſe pluuiam

Platina in vita Ioannis XIII.

tinopoli ſub Valentiniano Imperatore, adeo lapidibus pluiſſe, vt iumenta campeſtria fere omnia fuerint extincta, atque ciuium non pauci interierint. Sed & nouiſſimè Surius in Commentario Anni Dni. 1519. Fuit hoc anno (inquit) ſæuiſſima procella: Ferunt ea tempeſtate cecidiſſe ex äere, lapides oui gallinacei magnitudine. Sed & Anno Dni. 1510. tradit, Inſubribus pluiſſe ſaxa grandia, è quibus vnum, pondus habuit librarum 120. fuiſſeque ſilicibus duriora, odore ſulphureo. Oroſius lib. 5. cap:18. teſtatur in pago Beluacenſi lapides ouorum gallinaceorum magnitudine pluiſſe quadrangulari forma, arbores villaſque obruiſſe, ac abſumpſiſſe cõſtat. Sed & hoc noſtro ſæculo in nouo orbe, in Gagona valle tantum procella inualuit, vt eradicatis in ſublimeque elatis arboribus lapidibus pluuiæ ingruerent. Sed & in Meaco (vrbs inſignis eſt Iaponica) Anno Dni. 1577. Regulus quidam ethnico ritu ſuo dæmonicam celebrabat feſtiuitatem, in qua plurimum publiceque Chriſtianæ fidei ſathanico ore detrahebat: Mirum, è ſereno cœlo ſaxorum crepitantium pluuia decidere viſa & audita eſt, quo omnis illa Idolatrarum multitudo, quæ ad viginti millia numerabatur, dilapſa eſt, neque equidem vnus permanſit eo loci, adeò illa vis Angelica, Chriſtiani nominis tuendi cauſa, inſanientium cordibus metum incuſſerat: recolit qui ſpectator fuit Organtinus Ieſuita. Atque hæ lapideæ pluuiæ, ſine dubio arbores altiſſimas confregerunt, ſegetes eradicauerunt, homines & iumenta, & tecta concuſſerunt, petram verò aliquam potuiſſe, ſiue emollire, ſiue è loco mouere, nunquam literis mandatum poſterita-

Mirabiles pluuiæ.

Ethnici territi pluuia lapidea.

ti legimus. Accidit aliquando Prædicatorem in concione fulminare, tonare, & quodammodo pluuiam lapideam, arguendo vitia hominum in corda auditorum demittere. Mouentur multi ad bene agendum, concutiuntur timore, & horrore extremi iudicii, & futurorum in inferno tormentorum, sed illi tantum qui nondum in profundum peccatorum venere, & qui non lapideum cor, sed carneum habent: secus quorum cor obduratum, & ipsa saxosa petra durius est, etiam fulmina nihil proficiunt, nec de loco impietatis homines illos mouere possunt. O duram petram cor peccatoris. Lacte quoq; pluisse meminit Liuius decade 3. lib. 7. ac Orosius lib: 4. ca. 5, In Asbanio in Gallia, pluisse annonam, frumentumque ac pisciculos Anno Dni, 989. memorat Vicentius histo. lib 24: cap. 97. Sed omnium pluuiarum illa mirabilissima fuit, quam Manna in deserto, ad Israelitici populi escam quotidie pluerat. Nam tametsi in crastinum seruatum marcesceret; Sabbatho tamen die incorruptum seruabatur. Sed maxime admirandum fuit, quod qui vera fide in Deum id colligentes in escam sumebant, quocunq; oblectarentur escarum sapore, siue carnis cuiuscunque speciei, siue piscium, siue fructuum, sapor in illo Manna sentiebatur. At qui non recta fide, neque pietate sumerent, nullus in eo sapor inesse videbatur. Lactis, frumenti & Manna pluuiam Prædicatores in corda Auditorum spargunt, dum eorum vitia in Spiritu lenitatis arguunt, & etiã iuxta D. Pauli præceptum obsecrant, ne iniquè viuentes sicut præuaricatores diuinorum mandatorum durum iudicium subeant, quantaque sit cœlestium bonorum dulcedo,

Pluuia lactis Liu. dec. 3. cap. 7. Frumentum pluit Vincẽt. lib: 24.

Exo: c. 16

dulcedo, & quam perdulcis ſapor, illis ob oculos ponunt, & ne illis temporalia bona præferre audeant, obnixe per miſericordiæ Dei viſcera rogant. ad Heb. 5. *Facti eſtis quibus lacte opus ſit non ſolido cibo. Omnis enim qui lactis particeps eſt, expers eſt ſermonis iuſtitiæ, paruulus enim eſt.* Verum etiam eſſe nõ dubitamus, ſanguine pluiſſe, biduo in area concordiæ Romæ, vt habet Liui. dec. 4. lib. 9. Patina in Hadriano II. Pontifice tradit apud Brixiam, ante eius Pontificis mortem tribus diebus ſanguine pluiſſe. Sed & hoc noſtro ſæculo teſtatur Surius in ſuo Commentario. Anno Dni. 1543. circa finem in Diœceſi Monaſterien: ad caſtrum Saſſemburg. haud procul à Barendorp: ſanguine pluiſſe. ſed & apud Britones in Gallia in oppido Rocello pluiſſe ſanguinem, Anno Dni. 1163. memorat Rob. de Monte eius temporis auctor. Sanguinis imbrem tum Prædicatores in corda auditorum effundunt, dum peccatores à ſuis vitiis Chriſtum illis in cruce ſanguine aſperſum, & vulneribus cõfectum oſtẽdendo, auocare deſiderant. Compertum omnibus eſt, accipitrem eſſe animal natura ferum, inquietum, & adeò viuax, vt ad minimum etiam ſtrepitum, quamuis pedes eius vinculis impediti ſunt, commoueatur, & alis comploſis auolare conetur. Verumenimuero quod eſt remedium, quo quietari & ſtabiliri poteſt? Carnis ſanguinolentæ exhibitio. Hæc enim facit illum ad quoſuis ſtrepitus & rumores firmum atque immobilem conſiſtere. Ita quoque cor noſtrum adeò viuax eſt, vt nunquam ſtabile ſit, ſed ad omnem, minimum etiam tentationis, ſenſuum, carnis, ac dæmonis, motum, quanquam plurimis ſanctorum Dei mandatorum vinculis conſtrictum, in varias

Ad Heb: 5

Sanguinis pluuia.

Quando Cõcionatores ſanguinis imbrẽ ſpargũt.

Gabr. Inchino Can. Regul.

Simile.

partes commouetur, desiderando sæculi vanitates. Cæterum ad illud stabiliendum & efficiendum maximè prodest carnem illi demonstrare. Sed quam carnem? Christum in cruce pendentem, & sanguine perfusum. Hunc deuota meditatione cogitando, cor à mundi vanitatibus abstrahitur, & mundum seruatur. Hoc S. Paulus in semetipso expertus fuit, ideòq; dicebat. *Mihi autẽ absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Stigmata Domini nostri Iesu Christi in corpore meo porto.* Enumeratis tam variis pluuiarum speciebus Authores, earum etiã varios effectus cõmemorant, nullus tamen illorum hoc asserere legitur, alicuius pluuiæ de cœlo cadẽtis violẽtia petrã cõcussã fuisse, hoc modo imber diuini eloquii multorum effectuum in cordibus hominum origo & fons vberrimus frequẽter existit, in corde nihilominus petroso & pertinaci manet sine virtute & effectu. Gladius ferreus petræ allisus, non eam vulnerat, nec penetrat, sed scintillas igniferas excutit, & quendam durum sonitum excitat, arbores vero, & varii generis plantas transfodit, vulnerat, & relicto vulneris vestigio, ex arbore extrahitur. Verbum Dei in sacra scriptura gladius nuncupatur. ad Heb: 4. *Viuus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ*, & ad Eph: 6. *Assumite & gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Hic igitur spiritualis gladius vulnerat frequẽter, & penetrat corda multorum Christianorum, sed à petra resilit, & nullo vulnere inflicto, ignem elicit. Dum enim prædicator ad hominem nequam, vitiisque ex toto pectore incumbentem, à via hac peruersa deterrendum, euaginat Diuini verbi gladium, & contra illum ictum dirigit, nihil

Galat. 6.

Nulla pluuia petram concusisse legitur.

Gladio verbum Dei assimilatur.

Hebr. 4.

Eph. 6.

nihil prorſus efficit. Veritas odium parit, ignem iracundiæ, & deſiderium vindictæ ſumendæ accendit. Vultis rem per exempla cognoſcere? Habete. Regnabat in noſtra Polonia Boleſlaus, à virtutibus bellicis appellatus Audax, Rex à principio pius, & Patriæ amans, ſed ingẽtes viri virtutes, ingentia æquabant vitia. Erat animus ad aggredienda pericula magnus, erat conſtantia in bellis perſequendis, laboribusque tolerandis incredibilis: ſed ex altera parte fuit crudelitas ſumma, auaritia non ferenda, animus impotens, ac rebus ſecundis inſolens: ante autem omnia in quamque fœdiſſimam libidinem plane effuſus. Fungebatur tunc officio Epiſcopali, in Eccleſia Cracouien: Beatus Staniſlaus, vir & doctrina, & opere potens, cuius ſanctitatis odor iam tum per omnes Chriſtianitatis partes diffundebatur, qui tantas virtutes, tot tantiſque vitiis contaminari dolebat. Regem igitur aggreditur, illumque officii admonet, non decere ſplendorem regium turpitudine vitiorum maculari docet, à crudelitate & libidine fœda eum dehortatur: & niſi faciat ſe eum excommunicaturum minatur. O vere animum Apoſtolicum, qui inuicta animi fortitudine, Regem aggredi auſus eſt, & cõtra illum ancipitem verbi diuini gladium vibrare non erubuit? Sed quo ſuo commodo? Dura petra Rex erat, gladius igitur ille ignem excuſſit, ſi quidem percuſſit ea res animum Regis, & exacerbauit, ita vt nihil amplius niſi de vita & ſanguine Sancti Staniſlai cogitare videretur. Rem igitur tentauit, maieſtate Regia indigniſſimam. Cum enim perageret rem ſacram S. Staniſlaus, vulnere lethali, caput Martyris proſcindit, cerebroque eius

Rex Poloniæ Boleslaus, audax à bellicis artibus dictus.

Beatus Stanislaus Regem cum gladio ſalutis aggreditur.

Boleslaus S. Stanislaum interficit.

parietem respergit. Male inchoatum opus Regis, improbi ministri deterius perficiunt: corpus Sancti de templo extrahunt, & in partes septuaginta duas discindunt, atque canibus auibusque deuorandum proiiciunt, nefando demum opere perfecto abeunt. O ignem vere infernalem. Sanctus quoque Ioannes Baptista, quo maior non surrexit inter natos mulierum, accinctus huic gladio salutis, in vitia peccatorum irruit, voce terribili intonans. Pœnitentiam agite appropinquauit enim regnum cœlorum. Igitur multi compuncti veniebant ad eum dicentes. Quid ergo faciemus? Aggreditur & Regem Herodem, & stricto diuini verbi gladio cor eius petit. Non licere Regē cum vxore fratris sui habitare vociferans, sed quid proficit tam S. Vir, ignem è petra excutit, iratus Rex S. Prophetam carceri includit; & paulo post capite plecti iubet. O duram petram, cor peccatoris. Ventus quoque habet magnam similitudinem cum verbo Dei. Quia sicut nauis in mari, quantumuis omnibus sit requisitis ornata, sine vento per maris aquas incedere nequit, sic nec anima, quantumuis donis naturalibus ornata sit, in cœlum tendere valet, sine diuini eloquii gratia. Nemo enim saluabitur, nisi ille qui crediderit, quomodo autem credere poterit. sine prædicante, cum fides ex auditu sit? Sed & hoc verum est, vento flante, arbores, herbas, virgulta, imo & aquarum flumina, cōmouentur, in hanc, & in illam partem flectuntur, petra autem fortiter in loco manet. Fertur Tiphonē ventum à Sinarum regione in Iaponiam nauigantibus, tantæ semper incensorem tempestatis esse, vt illo flante non nisi miraculo naufragium euitari possit, si

S. Ioannes Baptista Regem cū gladio aggreditur.

Vento comparatur verbum Dei.

Organtinus Brixianus Iesuita.

ſit, ſi vel vnam perduret noctem. Vela enim quantumuis egregiè firma diſcindit, malos abrumpit, quamuis integros & ſolidos, partes quoque eas nauigiorum, quæ ab aquis eminent diſſoluit, ac demum (vt fertur) ſi nauigia onerata non ſint, etiam iam ab vndis in aëra eleuans, effert vltra littus, vnde facile colliſione rumpantur. In auſtrali quoque cœlo orbis noui, in ea regione, quæ ſancti Vincentii nuncupatur, tanta ventorum vis eſt, vt infra dimidiæ horæ interuallum procella adeò magna emergat, vt ſyluæ ipſe eradicentur: domus quoque concutiantur: ſed & in Hiſpaniola Inſula, adeò inualent venti, vt elatos in ſublime homines, ad ſtadii interuallum transferant ad caſum, quo etiam miſerè quatiuntur, transferunt & arbores ingentes radicibus euulſas, etiam ſyluis valde procul ſitis. Hæc & alia de ventis miracula in diuerſis authoribus legi, nuſquã tamen legiſſe me fateor, petram ſaxoſam, vento flante, de terræ viſceribus eradicatam & euulſam fuiſſe. Similiter ad verba Prædicatorum, quæ vento S. Spiritus flante proferunt, commouentur è loco impietatis permulti, exceptis obſtinatis & corde obduratis, hi enim ſicut petra duri exiſtentes, nullo vento ſpirante Diuini verbi moueri poſſunt. Inſuper lucerna ardens domos etiam ampliſſimas, arboresque altiſſimas, ſi illis admota fuerit, accendit, & magnum incendium excitat, at petræ duræ etiam mille lucernas ſi admoueris, flammam ex eius viſceribus nequaquam erumpentem conſpicere poteris, dicitur de verbo Dei. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* quæ vt dixi nullum ignem in corde petroſo excitare, valet. Igitur ô Chriſtiani, qui experimentis quotidianis

Ventorũ vis mirabilis.

Ignis nõ accendit petrã.

tidianis cognoſcitis corda veſtra ardentiſſimis concionibus non moueri, petram vos duriſſimam eſſe noueritis. Idcirco ſerio vobis ad Dominum Deum clamandum eſt, vt ipſe, gratia diuina hanc ſcindat, & rumpat duritiam, & auferat à vobis cor lapideum, donet verò cor carneum. Vtinam hæc vobis præſtare dignetur Deus Omnipotens, Cui laus & gloria, ſine fine, in ſæcula ſæculorum. AMEN.

ORATIO ECCLESIASTICA

In Dominica Quinquageſimæ.

Tradetur filius hominis gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur, & poſtquam flagellauerint occident eum. Luc. 18.

Summa Cōcionis. CAuſæ quare Chriſti mors tempore Bachanaliorum commemoratur, redduntur.

IN conuiuiis, ac comeſſationibus mille pericula dominari ſaluti hominum, in aperto eſſe, ipſa experientia magiſtra cognoſcimus. Quippe in cōuiuiis ſanguinem proximorum effundi, corpora vulneribus, & ſæpenumero fæda cæde affici, omnia tumultu, & clamoroſis vocibus impleri, quotidie fere ſpectamus. Thracum conuiuia huiuſmodi fuiſſe, rerum geſtarum memoria teſtatur. Funis quidam ex alto laquei in nodum conuolutus dependebat, huic

huic ad perpendiculum lapis rotundus vndiq; erat suppositus, super quem is, cui eius sors obtigerat ludicri, gladium manu tenens ascendebat, collumque laqueo illi insertabat. Subditum sub hæc lapidem conuiuarum quispiam facile loco mouebat, quo dimoto, laqueo pendens ille, aut celeri funem ictu abscindebat, aut morte sua ebriis conuiuis turpes de se cachinnos commouebat. O detestandum conuiuium. Sic communi vsu euenire solet, vt dum omnes vino se ingurgitant, & lætitiæ vanæ habenas laxant, & ecce subito mors irruit, vnum atque alterum per scelus ab aliis necatum rapit, & subito hominis interitu extremum gaudii occupat. Quoniam verò his diebus, omnis status hominum conuiuiis adest, & variis voluptatum illecebris inhærere consueuerunt, ne igitur homines Christiani, in aliqua pericula deueniat, reuocat eos mater Ecclesia, ab his pessimis occupationibus, mortem Christi illorum oculis repræsentans. Sed de hoc fusius in ipsa concione quærendum relinquimus, quare hac Dominica mortis Christi fiat in Ecclesia solennis mentio.

Thracum cōuiuia.

Tempore bacchanaliorum omnes homines voluptatem quærunt

AVE MARIA.

PRima causa, cuius beneficio hodierna die mortis Christi memoria auribus vestris inculcatur, est, vt hominibus superfluos & delicatos cibos efficiat, quodammodo abominabiles. His enim diebus edent, & bibent, ambulabuntque in comessationibus & ebrietatibus, & in cubilibus, & impudicitiis, in contentionibus & æmulatione: multi inquam inuenientur Esau imitantes, qui accepto pane, & lentis edu-

Gen. 23. tis edulio, comedit, & bibit, & abiit parui pendens, quod primogenita vendidiſſet. A quo pernicioſo vitio deſiderans mater Eccleſia, hominum abſtrahere animos, per ora Prædicatorum vtitur verbis Chriſti, & ait. Luc. 21. *Attendite vobis ne forte grauentur corda veſtra, crapula & ebrietate, & curis huius vitæ,* & 17. *In diebus Noe edebant & bibebant, vxores ducebant, & dabantur ad nuptias vſque ad diem qua intrauit Noe in Arcam, & venit diluuium, & perdidit omnes:* ſed animaduertens ſe, cum verba Chriſti referat in aqua ſcribere, & ſurdis fabulam canere, addit minas & inquit. Luc 6. *Væ vobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis,* & Num. 21. *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, & ecce furor Domini concitatus in populum, percuſſit eum plaga magna nimis.* Verumenimuerò & harum vi parum cōmouentur homines, tempori & conſuetudini obediendum eſſe clamitantes. Quid igitur pia mater facit? Vtraque manu accipit Chriſti ſanguinem, ſputa, & flagella, & quodammodo aſpergit eorum fercula illo feruenti cruore, vt ſic ſaltem retrahat eos ab auiditate ciborum. Natura enim duce hominibus inditum eſt, vt rē ſanguine recenti conſperſam quodammodo abhorreant, nec eam in cibum ſumere audeant: & efficit id his modis. 1. Cōmemorando mortem Patris noſtri. 2. Ponendo eum ob oculos flagellis vehementer cæſum. 3. Sanguine aſperſum, ſputis deturpatum, & funibus ligatum. Cum enim in conuiuio filiis in lætitia vinum bibentibus nuntiatur, Patrem eorum ab hoſtibus captum, vulneribus confectum, & vehementer afflictum animam agere, nonne dolore vehementi tranſuulnerantur? nonne omnibus poculis & ferculis derelictis celeri curſu, ē domo conuiuii euolant, vlturi patri

[Margin notes: Gen. 23. — Luc. 21. & 17. — Luc. 6. Num. 21. — *Simile.*]

patri suo illatas iniurias? Hoc modo & vobis faciendum esse insinuatur, vt videlicet audita crudeli Patris vestri morte, subito remotis epulis surgatis, & ad persequendas iniquitates vestras, quæ eum vulnerauerunt vos conferatis. Venit olim Abner Dux artibus militiæ præclarè instructus, ad Regem Dauidem, Israeliticum illi regnum deferens, à Rege conuiuio exceptus, & muneribus locupletatus, dum in propriam domum reuertitur, per fraudem à Ioab interficitur, statimque maledixit Ioab Dauid, & ait. Scindite vestimenta vestra, & plangite ante exequias Abner. Cumque sepelissent Abner, leuauit Rex Dauid vocem suam, & fleuit super tumulum Abner, fleuit autem & omnis populus, & subiicitur. Cumque venisset vniuersa multitudo cibum capere cum Dauid, clara adhuc die iurauit Dauid dicens. Hæc faciat mihi Dominus, & hæc addat, si ante occasum solis gustauero panem, vel aliud quidquam &c. Eandem & non aliã cantilenam Ecclesia mater nostra canit. Plangite. Christus quippe Rex vester interfectus est, sãguis eius effusus est, à plãta pedis vsq; ad verticẽ capitis, nõ est in eo sanitas. Interfectus est bonus & fidelis amicus vester, qui venit offerre vobis regnum cœlorum. Fleuit inquam Dauid, omnisq; multitudo vehementẽ vim lacrymarum cum illo profudit, nec quidquam gustare præ nimio dolore voluerunt. Nos verò Christum Dominum, Patrem, redemptorẽ, & benefactorem nostrum aspicientes sanguine perfusum, flagris laceratum, clauis confossum illusum, & insuper crudeli morte mulctatum, genio indulgebimus, & non potius vberrimis lacrymarum fontibus vultus nostros aspergemus? Fecerat con-

2. Reg. ca. 3.

Plorat Dauid mortem Abner.

Ecclesia nos ad fletũ inuitat Christi mortem repræsentans.

uiuium Abſolon quaſi conuiuium Regis, ſed cum temulenti fuiſſent vino, adſunt cum euaginatis gladiis pueri Abſolon, qui Ammon Fratrem eius aggreſſi inter pocula obtruncant, *ſurgenteſque omnes filii Regis aſcenderunt ſinguli mulas ſuas, & fugerunt.* Vidiſtis Auditores filios Regis, cum omni lætitia & iucunditate, vinum bibiſſe in domo fratris ſui, ſed vbi primum ſanguinem fratris, effuſum viderunt, ſine mora fugam arripuerunt ad illud conuiuium amplius haud reuerſuri. Offert vobis Eccleſia ſanguinem Chriſti fratris veſtri dilectiſſimi pro ſalute veſtra, & in remiſſionem peccatorum veſtrorum crudeliter effuſum, ergone viſo Chriſti ſanguine poculis inhærebitis? nonne dolore nimio transfixi, ab omni mundana voluptate è cœno conuiuii fugietis? Mors vnius adoleſcentis Regem Dauidem, & omnes qui lateri eius adhærebant ſummo dolore affecit? Mors Chriſti non poterit hoc efficere in cordibus veſtris? Quā præclarè ac ſapienter Ægyptii, qui (vti refert Herodotus) vt in epulis conſeruarent honeſtatem, modeſtiam, temperantiam, & ne eſſent inter delicias diſſoluti, & in omnem vitiorum licentiam effuſi, ſtatuerunt, vt in principio conuiuii ſtatua quædam lignea, coloris oſſei, mortis ſpeciem accuratiſſimè exprimens circumgeſtaretur: hæc autem quamdiu durarent epulæ, omnium oculis ibidem manebat expoſita, illius vero lator clara voce conuiuas hiſce verbis alloquebatur. O vos quotquot ad epulas haſce conueniſtis, vt cibis lautioribus & exquiſitioribus vos expleatis, imaginem hanc attente aſpicite, ac è memoria nunquam deponentes, quod huic aliquando ſimiles futuri ſitis, bibite, &c. Simili modo,

2. Reg. c. 13.

Præclarus mos Ægyptiorum.

modo matrem Ecclesiam Sanctã cum suis filiis procedere his diebus liquido patet, qui ne dissoluantur in omnem viuendi perniciosam licentiam, repræsentat illis imaginem Christi Domini crucifixi, vulnerati, sanguine conspersi in hæc prorumpens verba. En amore vestri Christus in omnibus membris vehementissimos dolores patitur, vos amore eius non abstinebitis à superfluis cibis & potibus? Illi in escam datur fel, & potatur aceto, vos in abundantia vinum habetis, & exquisitissimis vesci ferculis curabitis? Decet ne sub spinoso capite molliter viuere membra? Conueniensne est, & æquitati consentaneum, Domino siti, fame, & tribulationum angustiis oppresso, seruos exhauriendis poculis, & fruendis voluptatibus inhærere? Imperatore & Duce afflicto, quis miles in lætitiam soluitur? Patre morborum vi debilitato, quis filius in petulantias carnis sponte dilabitur? Quæro à vobis, si quispiam veniens ad mensam vestram cui accumbentes, varia ferculorum genera hianti ore consumitis, sanguine recenti omnes cibos conspergeret, sumeretis ne cum tali condimento etiam quæque delicatissima? Nequaquam, vt ego existimo. Horrendum enim est, & a natura humana alienum, potum vel cibum cum recenti sanguine, & maximè humano sumere. En Christi sanguine cibi vestri asperguntur, quomodo nihilominus auide vos ad manducandas animalium carnes cõfertis? *Eleuans virgã Moyses percussit aquã fluminis corã Pharaone, & seruis eius, & versa est in sanguinẽ, & non poterãt Ægyptii bibere aquã fluminis. &c.* Orosii testimonio cõstat, Benedicto VII. Pontifice in Lotharingia, saluberrimum scatentem fontẽ in sanguinẽ versum fuisse, Ioãne quo-

Nõ decet sub spinoso capite molliter viuere membrum.

ne quoque XII. Pontifice, Genuæ sanguinis fons largissimè effluxit. Et in Britannia sanguinis fontem manasse Fulg. lib: 1. testatur, & ex talibus fontibus, nemo vnquam hausisse aquam ad bibendum legitur, sed potius omnes stupefacti mirabantur Dei potentiam, metuentes ne hoc esset à Deo in manifestum signum furoris eius, vt & fuisse manifestum est, nam ille primus fons sub Benedicto totius orbis famem, & pestem in Italia, qua plurimi perempti sunt, & sub Ioanne portendebat futuram maximam calamitatẽ, quæ postea à Saracenis illata est. Nõ dispari ratione fõtes sanguinis ex corpore Christi promanẽtes vobis repræsentat Ecclesia, vt illis visis deterreamini à gula & ebrietate, & recordemini sanguinẽ hunc Diuini furoris indicium esse, si ventri & non Deo obedire volueritis. *Altera causa est.* vt homines à vana lætitia auocare & abstrahere valeat. Modo enim homines peruersi dissoluuntur in vanum gaudium, & inanem lætitiam, quippe cum malè fecerint lætantur. Sap: 2. *Dixerunt impii cogitantes apud se non rectè. Exiguum & cum tædio est, tempus vitæ nostræ, &c. Venite ergo & fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura, tanquam in iuuentute celeriter, vbique relinquamus signa lætitiæ nostræ, quoniam hæc est pars nostra, hæc est sors nostra.* Omnibus his offertur mors Christi crudelissima, vt conspecto domino suo crudelem in modum afflicto, flere potius & non gaudere velint, siquidem Bachi lætitia sortitur exitum tristem, extremaque gaudii occupat luctus, at tristitia Christi vertitur in gaudium, & breui post nebulã oritur phæbus. Refert Iustinus lib: 12. Alexandrum magnum quodam die vocasse in solenne conuiuium amicos, vbi orta inter ebrios rerum à Philippo ge-

Iustinus lib: 12.

starum

ſtarum mentione, præferre ſe patri ipſe cæpit, contradicentemq; Clytum occidit. Poſtea ad ſe reuerſus videns occiſum militem, eodem furore in pœnitentiam verſus eſt, quo mori voluit. Primum in fletu progreſſus amplecti mortuum, vulnera tractare, & quaſi audienti confiteri dementiam, arreptum telum in ſe vertit, peregiſſetque facinus, ni amici interueniſſent, ob hæc illi quatriduo perſeuerata inedia eſt. Lætus vt intellexiſtis conuiuium celebrauit Alexander, & ſine dubio celebraſſet longiori tempore, niſi Clyti per ſe interfecti ſanguine reuocaretur, quem cum aſpexiſſet mortuum, confeſtim vehementi mœrore arreptus, & ſimilis inſanienti factus, ſibi ipſi manus inferre voluit. Similiter & vos ne ad vanam lætitiam lapſi facile ruatis, aut ſi iam gaudere cæpiſtis, quamprimum de domo conuiuii in domum doloris & luctus venire properetis, ponitur in conſpectu veſtro Chriſtus, quem veſtra peccata vulnerauerunt, inſuper & occiderunt, vt ſicut Alexander viſo corpore defuncti militis, ſe totum triſtitiæ dedit, ita & vos conſiderantes Regem veſtrum interfectum, vehementi compuncti dolore lugeatis, quod ſi caro conſurrexerit aduerſus ſpiritum, vobis ipſis vim inferatis, quippe violenti rapiunt regnum cœlorum. *Tertia cauſa eſt.* Multi his diebus voluptatibus incumbere toto pectore nituntur, tenent tympanum & cytharam, gaudent ad ſonitum organi, ducuntque in bonis dies ſuos. Sed væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Vt igitur Eccleſia homines ab omni luxuria voluptatum, facili negotio amouere valeat, Chriſtum illis omni tormentorum genere excruciatum, fame & ſiti exagitatum

Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem.

agitatum, cruore & liuore deturpatum, sputis maculatum, frigore & nuditate afflictum, & ab omnibus derelictum inducit, vt illi Dominum & Regem suum in tam abiecto statu animaduertentes, ei sicut fideles serui, postpositis omnibus illecebris adhæreant, non enim decet seruum mollius quam Dominum eius viuere, nec est discipulus supra magistrum. Suadebat Dauid Vriæ, vt in domum suam iret, & à bellorum labore requiesceret, cui Vrias. *Arca Dei & Israel, & Iuda habitant in papilonibus, & dominus meus Ioab, & serui Domini mei super faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam, vt comedam, & bibam, & dormiam cum vxore mea? per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ, non faciam hanc rem.* O fidelis seruus & prudens? Dux inquit meus laborat, & ego deliciis vacabo, absit. Si ergo Vrias confundebatur deliciis vacare, ducem suum in laboribus constitutum considerans, quid nos facere oportet, Christum in tot tantisque laboribus vitam transigere considerantes? Dominus meus felle & aceto potatus est, & ego ciborum delicias quæram? Dominus meus nudatus est, & ego bysso & serico vtar vestimento? Dominus meus in cruce pendet, & ego lectuli mollitiem quæram? Absit, Christianus sum, Christum sequar quocunque ierit ipse. *Dixit Rex Dauid ad Ethai Getheum. Cur venis nobiscum, &c. heri venisti, & hodie compelleris nobiscum egredi*, quid ad hæc fidelis seruus responderit, audite: *Viuit Dominus, & viuit dominus meus Rex, quoniam vbicunque fueris domine mi Rex, siue in morte, siue in vita, ibi erit seruus tuus, &c.* Sic & vobis dicendum est, non discedemus à te Domine IESV, si fueris in carcere, tecum ibimus; si apud præsidem, aderimus; si in dolore, condolebimus. *Quarta causa est.*

Non est seruus supra dominum.

2. Reg: 11.

Vt accen-

Vt accendat animos hominum ad pugnam contra hostes, qui modo ex inferno egressi in nostram conspirarunt salutem fortiter ineundam. *Et Elephantis ostēderunt sanguinem vuæ, & mori ad acuendos eos in prælium.* Sic ad acuenda Christianorum corda ad iuuanda hostium castra multum conducit sanguinis Christi præsentatio. Ecclesia enim sanguinem Christi vobis ob oculos ponens: Eia inquit Christiani, Christus Dominus amore vestri, carnem suam flagellis cædendam, funibus ligandam, clauis transfodiendam exposuit, vos ad exemplum eius carni vestræ forti & inuicto animo bellum indicite, eius desideria sequi, & explere recusate, concupiscentiis resistite, & si vobis instare fortiter videbitur, flagellis, ciliciis, inedia, & vigiliis hostem crudelem exagitate, & castigantes illum in duram seruitutem redigite. Christus Dominus amore vestri adeò pauper factus est, vt & vestes, quibus eius sanctissima caro tegebatur deponeret, & nudus vt ipsi cernitis in crucem actus mortem oppeteret. Vos exemplo eius huius mundi gloriam negligite, eius fucatum splendorem abiicite, & si vos in suam partem trahere voluerit, fortes resistite in Domino, & potius nudi nudum sequimini Christum. Conuertite oculos in eum siti laborantē, & sitio clara voce clamantem: & confestim, vos quoque deliciis, voluptatibus, conuiuiis, comessationibus postpositis, continentiæ & temperantiæ frænum carni vestræ imponatis, quod si compatiemini, & glorificabimini in regno cœlorum.

Vbi Deus Pater, Deus filius, Deus spiritus S. regnat sine fine.

AMEN.

SECVNDA ORATIO ECCLESIASTICA

In eadem Dominica.

Cæcus quidam ſedebat ſecus viam mendicans. Luc. 18.

Summa Concionis.

HOmines peccatores eſſe cæcos pulchrè docetur in hac Concione.

OMnes qui ſpreto Chriſti conuiuio veniunt ad epulas Bacchi, extremæ dementiæ participes ſunt iudicandi. Quid enim nobilius, quam Regio conuiuio adeſſe, & cum Rege manducare? & quid vilius quàm cum abiectiſſimo carnifice menſæ accumbere? Chriſtus Dominus ſupremus Rex eſt, Bacchus verò carnifex, qui igitur Chriſto contempto, Baccho adhæret, carnificem ſequitur: quo quid ignonimioſius? Quantum ad id regio excipi conuiuio eſſe rem gloria plenam, Aman ſupremus in aula Regis Aſueri Princeps, ſuo exemplo confirmat: dicit enim. Eſt. 5. *Regina quoque Eſter, nullum alium vocauit ad conuiuium præter me, apud quam etiam cras pranſurus ſum.* Bacchi verò conuiuium eſſe quandam carnificinam illud exemplum de Adonibezec. Iud. 1. perbelle demonſtrat. Vbi ſeptuaginta Reges, amputatis manuum ac pedum ſummitatibus colligebãt ſub menſa ciborum

Eſter. 5.

rum reliquias. Sic Bacchi epulas sectātes sicut canes colligunt sub mēsa voluptatum reliquias, frequēterq; ex aliqua in occasione ira accēsi, seipsos inuicem gladiis manus & pedes amputant, faciesque suas vulneribus deturpant. O verè carnificinam Bacchi conuiuium. Inter alia autem tormenta, quibus crudelis iste carnifex Bacchus homines afficit, illud non postremum cæcitas. Omnes enim Bacchi & voluptatum eius sectatores esse cæcos, hæc nostra docebit concio.

AVE MARIA.

SAcrarum literarum monumenta, homines peccatores esse cæcos manifestè testantur. Soph: *Ambulabunt vt cæci quia Domino peccauerunt.* at Baccho obedientes & ventri obsequentes peccant, ergo sunt cæci. Gen: 19. Volebant Sodomitæ irruere in domum Loth, & effringere fores domus eius, vt adolescentes ab illo hospitio exceptos ad explendam cum illis carnis turpitudinem educerent, sed *percusserunt eos Angeli cæcitate, ita vt ostium inuenire non possent.* Sic quicunque hos pessimos homines in sectanda carnis voluptate imitatur, esse cæcitate percussos hoc exemplum perbellè demonstrat. Deut: 28. *Quodsi audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt custodias & facias omnia mandata eius, &c. Percutiat te Dominus amentia & cæcitate, ac furore mentis, & palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas,* vbi manifestè sacra scriptura cæcos nuncupat. Adhæc, cæcus nescit quo vadat, rectamnè an peruersam viam teneat, sed sequitur ductorem suum, & illuc gressum dirigit, quo ductori eius placet, obediens in omnibus ei, qui eius ductor in via,

Peccatores omnes esse cæcos.

Deut: 28.

Cæcus ductorem sequitur suum.

in via, existit, iubet eum ductor loco stare, stat; iubet sedere, sedet; iubet à prætereuntibus eleemosynam petere, petit. Sic homo peccator, quocunque eum peruersus affectus traxerit, sequitur eum sicut bos, aut agnus lasciuiens. Nam si quis est, qui secundum carnis desideria viuit, illum in omnibus carni propriæ obsequi est necesse, iubet eum caro ad loca minus honesta viam arripere, sine mora itineri se accingit, iubet eum cantilenas lasciuas, & verba obscæna promere, promit; iubet choreas ducere, luxuriosè in conuiuiis insanire, tactu & osculis intactas virgines vexare, omnia hæc prompto & libenti animo exequitur, quia cæcus est, & suum ductorem, peruersum scilicet appetitum sequi cogitur. Clamat Ecclesia, & sicut parturiens mater vociferatur.
Rom. 13. Rom: 13. *Carnis curam ne feceritis in desideriis.* & Eph: 5. *Fornicatio, & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis sicut decet sanctos, aut turpitudo,* & Eccl: 18. *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere.* Ille verò qui carnem diligit, surda aure piæ matris hæc verba excipit, concupiscentia semel illectus eius peruersas semitas tenet. Prou: 7. *Occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad decipiendas animas, garrula & vaga quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis.* & statim subiicitur. *Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuiens.* Romæ canes esse cæcorum multi referunt, qui per vrbem ad omnes Ecclesias, ad omnes Principum, Ciuiumque domos, loro ligati, perducunt dominos eleemosynæ petendæ gratia. Norunt etenim hi catelli locum quo veniendum est, ibiq; subsistunt, atque ita cæcus Dominus & ipse subsistit: auget miraculum, quod hi cæci die Lunæ pro defunctis oraturi,

Eph. 5.
Eccl. 13.
Prou. 7.
Romæ canes cæcorum duces.

turi, quaſdam habent domos ciuium, vnde eleemo-ſyna petenda ſit, alias die Martis Angelorum ob memoriam, alias die Sabbati, ob B. M. V. commemorationem, & ad has diuerſas, diuerſorum quoque dierum domos, catelli cæcos dominos ſuos, abſque vllo errore perducunt. Et cum quadrageſimali tem- *Mirabilis do*
pore, quotidie adeò diuerſis locis indulgentiæ ac *cilitas canũ.*
ſtationes indictæ ſunt, ad omnes tamen, qualibet ſint Vrbis parte, aut etiam extra vrbem, abſque vllo vnquam errore dominos ſuos prorſus orbatos perducunt. Canes hi affectus humanos toties peccatum abominantes, & iterum ad illud reuertẽtes ſicut canes ad vomitum intelligo, qui hominem carnalibus deditum voluptatibus trahunt, paſcendi oculos gratia luxurioſo aſpectu mulierum, ad domos nobilium, ad Eccleſias, & ad palatia Principum. Notum etiam eſt cæcum lumen ſolis non videre, ſed ſemper in tenebris ambulare. Tob, 5. *Quale gaudium mihi qui in*
tenebris ſedeo, & lumen cœli non video. Non diuerſa con- Tob. 5.
ditio impiorum. Prou. 4. *Via impiorum tenebroſa.* non
enim illorum mentem irradiat lumen Chriſtianæ Prou. 4.
ſanctitatis, non illis lucet lumen gratiæ diuinæ, ſed & lumen rationis longè ab illis abeſſe concluditur, ſiquidem ad voluptates ſectandas currunt, ſicut mulus & equus, quibus non eſt intellectus. Præterea hominem cæcum quis ignorat, ad omnia manuum opera inhabilem? omnis enim tali plaga affectus, non poteſt ſcribere, legere, pingere, arare, ædificare, & in bello pugnare, manus cæcorum nihil vnquam laude dignum poſſunt efficere. Vnum tãtummodo cæcum egregium & heroicum quoddam virtutis ſpecimen exhibuiſſe legi. Hic autem fuit Io-

 annes

Rex Bohemorum cæcus.

annes Rex Bohemorum, duorum ſine medio Romanorum Principum, alterius filius, alterius Pater, oculis ſemper infirmus, multos ad extremum annos cæcus, bello hoc quod inter Gallum ac Britannum Regem fuit, dum pugna illa aſperrima, cui ambo Reges intererant, inclinare fortunam ſuæ partis intelligeret, Duces ſuos clara voce compellans: Dirigite me inquit ocyus in eam partem, vbi Rex hoſtium eſt, atque omne robur exercitus ſui; quod cum mæſti ac trepidi feciſſent, ille equo ſtimulis adacto, eò ſe præcipitem dedit, quò ſpectare alii, cæcumque oculis proſequi vix audebant, vbi confertiſſima hoſtium in acie, non fortiter modo, ſed honorifice pugnans ruit, ipſis mirantibus & laudantibus qui vincebant. ſed rariſſima in cæco huiuſmodi virtus, non multos ſine dubio omnis ætas, omniſque hominum memoria, cæcos ſtrenue pugnantes vidit. Cum apprehendiſſent Philyſtiim Samſonem, ſtatim eruerunt oculos eius, & duxerunt vinctum catenis, & clauſum in carcere, molere fecerunt: quando Samſon viſu pollebat, manum ſuam mittebat ad fortia, & digiti eius apprehendentes gladium multos hoſtes trucidabant, priuatus vero oculis operi abiectiſſimo admouetur, non diſſimili ratione homines impii, à meretrice calicem voluptatis illis porrigente, fraudulenta delectatione in errorem inducti oculis priuantur, & ad omnia bona opera inhabiles & minus idonei efficiuntur. Non enim feruenter orare, non cum ædificatione prædicare, non egenis cum charitate adiumentum præſtare poſſunt, ſed *Incircuitu impii ambulant*, id eſt quamuis multum laborando ambulent, in fine denique nullum perfeciſſe, iter

Ioannes Bohemorũ Rex cæcus pro Gallis aduerſus Anglos pugnãs fortiter occubuit.

Nullum bonũ opus peccator facere poteſt.

Pſal. 11. 9.

iter reperiuntur. Exiit per huius ciuitatis portam quis, & ciuitatem circumiens ad eandem reuertitur per aliam portam, quamuis totum diem in huiusmodi consumpserit itinere, tandem in eodem se reperiret loco, vnde iter fuit aggressus, sic peccator quantumcunque viuat, tandem in morte, nullos ex vitæ curricullo profectus fecisse reperiet: sicut enim nudus egressus est, ita nudus recedet, nulla autem bona opera sequentur eum. Adhæc qui in circuitu ambulat. facile capite turbato in terram cadit, sic peccator ac si in circuitu diu ambulasset, capite turbato, insensatus remanet, & facile in peccata ruit. Nonne insensatum hominem diceres, qui facultates suas magnas vitro & vili capillulo commutaret? Quid igitur de peccatore dicis? qui gloriam illam sempiternam, pro vili rerum temporalium lucro, pro mundi honore, pro voluptatibusque carnis commutat? Nonne stultum hunc melius nuncupabis: Cæci vt plurimum mendicare coguntur. Belizarius Dux Romanorum fœlicissimus multisque victoriis clarissimus Romanorum quoque decus & ornamentum nuncupatus, cum sibi eruti essent oculi, eo deuenit paupertatis, vt in templo D. Sophiæ Constantinopoli eleemosynam mendicaret, sic peccator etiam maximis diuitiarum facultatibus pollens quoniam cæcus est, pauperem eum esse, miserum, nudum, & egenum est necesse. Neque hoc sine ratione dictum existimate. Pauper enim agnoscitur, qui fame oppressus vilia quæque in cibum sumit, ad repellendam famis molestiam, vt olim filium prodigum cum porcis manducasse constat. At peccatores famem patiuntur vt canes, cibusque eorum

Quo modo intelligatur peccatores in circuitu ambulare.

Belizarius excæcatus mendicat.

rum ille est qui & bestiarum lumine rationis carentium, delectationem carnis intelligo, ergo sunt pauperes. Adhæc pauper ille nuncupatur omnium cõsensu, qui discurrendo per plateas à prætereuntibus auxilium exposcit: tali sorte gaudent peccatores; ergo. Mendicant enim à mundo fallaci diuitias, à meretrice carnalem voluptatem, à creaturis variis suas delicias, hinc illos noctu diuque per vicos & plateas vagari videbis, vt oculos visu meretricum pascant, & si fieri commodè poterit, ad explendam suam cum illis libidinem pertrahant. Sed & ille qui in sterquilinio sedet vlcere pessimo percussus omnium voce pauper appellatur, talisquoque conditio peccatorum. ergo. &c. Dum enim in peccato mortali spontaneè permanent, sicut sus in luto, sic illi in sordibus peccatorum volutantur, hinc dicitur, qui sordet sordescat adhuc, locus eorum sordes & sterquilinium, & quoniam in anima mortui sunt, de cadaueribus eorum ascendit fœtor, vermes quoque viscera eorum corrodunt. Illud etiam paupertatis non postremum indicium est, vestem conuenientem non habere, peccatores veste nuptiali carent, sed vili quadam & pellicea tunica induti iumentis insipientibus facti sunt, similes. Insuper ille quoque pauper esse nuncupatur, qui è patriæ finibus eiectus in exilium proficiscitur, sed homines voluptatibus deditì à regno cœlorum excluduntur, ergo. Galat. 5. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur.* Notandum homines voluptuosos mortuos esse, ergo & cæcos, nam qui moritur perdit videndi vsum. Rom: 8. *Si secundum*

Peccator ostenditur esse mendicus & pauper certissimis rationibus.

Exul pauper est.

Gal. 5.

Rom. 8.

carnem vixeritis, moriemini. At dicet aliquis, multos reperiri peccatores, qui pollent ingenio, & aspectu oculorum, nec eos cæcos esse videmus. Cui ego respondeo. Oculos habent & non vident: cæci quidem sunt, sed non circa terrena & mundana, sed circa cœlestia & Diuina. quod adumbratum fuit, vbi Naas Ammonites pugnare cæpit aduersus ciuitatem Iabes cui habitatores ciuitatis: *Habeto nos* (inquiunt) *fœderatos & seruiemus tibi. In hoc* (*inquit Naas*) *feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros*, hos autem oculos postulabat, quia sinistri operiendi clypeis erant, dum bella gererent, atque adeò inhabiles prorsus ad prælia remanerent. Hoc idem Tartareus hostis in hominibus efficit, vt scilicet oculos tantum sinistros habeant, ad temporalia nempe, & non dextros ad Diuina, sicuti plures sunt, qui ad bona ista acquirenda, lynceos oculos habent, talpeos verò ad suprema, & speciatim ad præliandum aduersus animæ hostes. Multi igitur in rebus temporalibus perspicacem visum interiorem habent, in spiritualibus verò cæci sunt, & hi similes dicuntur, primò noctuis & vespertilionibus, qui in tenebris nocturnis rectè vident, & volant, & in luce diei cæcutiunt, sic multi in tenebris peccatores, minutissima quædam perspiciunt puncta, scilicet honoris, quæ vix cerni posse videntur, & vsuras palliatas, quæ vix vsuræ, sed iusti contractus apparent, &c. Item similes dicuntur talpis, quæ per meatus terræ occultos discurrentes, inter obscura terræ, videre ipsas ferunt, ad lumen verò deductæ, cæcæ omnino sunt, sic mundani peccatores in rebus terrenis, intelligunt, discurrunt, percipiunt cuncta, quantumuis intellectu dif-

1. Reg: 11.

Labata in suis communibus locis.

Simile.

ctu difficilia sint, in his verò quæ luce clariora videntur, quæque animæ salutem conducunt, ita cæcutiunt, vt vix rudimenta Christianæ religionis attingant, quo quid infælicius? Præterea similes sunt miluis. Miluus enim velocissimè volat, & acutè ac perspicaciter videt, sed tamen volatus eius, & visus acies, ad quid quæso illi deseruiunt, nisi ad capiendos pullos paruos, & lacertas viles, seu mures, ardeas verò vel perdices, & alias similes aues nequaquam: sic etiam mundani peccatores, ad honores, diuitias, & delicias, & bona mundi, quæ comparatione bonorum spiritualium minima & vilissima bona sunt, perspicaces & acutissimi sunt, ad spiritualia verò vespertiliones sunt. Præterea similes sunt piscibus, qui per semitas maris natant velociter, imò volare videntur, ad hoc enim illis natura tribuit alas, sed tamen ad ripam educti, palpitare eos videbis, & è loco se mouere non valent: sic sapientes sæculi huius, in his quæ mundi sunt volare mente & ingenio videntur, at in rebus spiritualibus omnino cæcutiunt, sciunt peccare, & dum ad confessionem accedunt, sua scelera confiteri ignorant. Cæci igitur sunt omnes peccatores iniquitatem operantes. Quid igitur illis faciendum est. Egrediantur de Iericho (quod lunam significat) id est de mundanis & terrenis voluptatibus, quæ citissimè lunari mutatione conuertuntur in fellis amaritudinem, & sedeant secus viam, qua graditur Christus, voce magna clamantes IESV Christe fili Dauid miserere nobis, & cum interrogati fueritis quid petatis? Domine vt videamus, respondeatis. O vtinam aliquando oculos vestros aperiatis peccatores, & videatis quæ & quanta

Miluus acutū habet visum, sed ad capiendos paruos pullos

Conclusio.

quanta, vos in inferno expectant tormenta, sed heu hæc modo sunt abscondita ab oculis vestris. Vtinam videatis vos periculis maximis obnoxios, à Domino Deo abiectos, à dæmonibus circumdatos. Vtinam videatis virtutum pulchritudinem, & vitiorum turpitudinem, vtinam videatis bona cœlestia, quæ propter modicam carnis delectationem amisistis. Vtinam videatis quam multorum malorum fons & origo existat peccatum, & quam fertilis mater virtus donorum cœlestium. Vtinam videatis & intelligatis rerum terrenarum vanitatem, & spiritus afflictionem ex illis promanantem. Sed ad te meum conuerto sermonem bone IESV; aperi oculos, vt videant tua erga semetipsos, exhibita beneficia, & sua contra præcepta tua perpetrata vitia. Vt videant quia homines sunt breui morituri, & in æternum ni resipiscant perituri, vt videant terrena bona quæ magno cum animi affectu congregant se derelicturos, & nudos sicut nudi nati sunt in terram reuersuros. Vt videant dum animam suam peccatorum sordibus maculant, se effici sepulchra plena vermibus & spurcitiis, mancipia diaboli, & vasa iræ & furoris tui. Præstabit hoc Omnipotens & misericors Dominus, si vos ad eum contuleritis, ex toto corde, & voce dolorosa Christum interpellare volueritis dicentes: IESV Christe fili Dauid miserere nobis. Cui laus & gloria cum Deo Patre, & Sancto Spiritu sine fine. AMEN.

ORATIO ECCLESIASTICA

In Dominica I. Quadragesimæ

Tunc reliquit eum diabolus, & ecce Angeli accesserunt & ministrabant ei. Matth: 4.

Summa Concionis.

Diabolum non esse causam peccati pulchre docetur.

SVmmum timorem imò & terrorem antiquitus hominibus Elephantes incutiebant, adeò vt supremi Duces eos vehementer formidarent, victosque se exhiberent ad illorum præsentiam. Nam fortissimum quemque militem, tuba (quam quidam proboscidem, alii promuscidem vocant) capientes ita ad parietem, vel ad terram allidebant: ac si leuis mollisque cucurbita fuisset. Omnis tamen timor depulsus est, quando inquit Plinius lib: 8. cap: 7. in bello, quod Pyrrhus agebat, miles quidam valido gladio, aut ense vsus proboscidem, aut tubam illam fortem vnico ictu abscidit, quo facinore iam omnibus fuit manifestum, facile esse Elephantum superare, si quis valide pugnare, & gladio vti voluerit. Ita sane diabolus ingentem terrorem ingerebat, antiquis hominibus, quoniam videbant illum potentiæ suæ vi, egregios deiecisse viros, & exturbasse veluti: Adamum, Samsonem, Dauidem, Salomonem, &c.

Antiquis diabolus summo terrori fuit.

cuius

cuius propterea congressum reformidabant omnes. Nunc autem Christus Dominus cœlestis militiæ Dux, in arenam cum hac sæuissima bellua descendit, & vsus gladio verbi Dei, eius tubam aut proboscidem abscidit, dum omnes eius machinas eneruauit, cumque ab omnibus facile superari posse docuit. Hinc colligere licet nullum locum eorum excusationem in extremo Dei iudicio habituram, qui dum de peccatis commissis arguuntur, dæmone impellente ea se perpetrasse, & non sponte sua mentiuntur, quod pulcherirmis rationibus fusius illustrare placet. Fauete mente & auribus.

AVE MARIA.

Teterrimum dæmonem non posse suis fraudulentis persuasionibus, pro sua voluntate hominem in peccatum inducere, Christus Dominus suo exemplo (vt dixi) manifestè declarauit, qui vt homo à diabolo tentatus, & ad pugnam prouocatus fortiter manus cum eo conseruit, & tribus vicibus eius in se proiecta tela in eum ipsum retorsit, omnibus manifestum faciens, diabolum ab homine Christiano facili negotio vinci & prosterni posse. Adeò enim malum dæmonem Christus profligauit, vt eum eiiceret foras, omnique eum potestate & omnibus viribus spoliaret, & hoc tripliciter, vt quidam Theologorum dicunt. 1. Quoad potestatem trahentem, quia iam amplius non potest sanctos trahere ad lymbum postquam tractos amisit. Zach. 9. *Tu autem in sanguine testamenti, eduxisti vinctos de lacu.* 2. Quoad potestatem impellentem. Ezech. 30. *Confregisti brachium Pharaonis.*

Christus Dominus suo exemplo docet diabolũ esse superabilem.

Triplici potestate spoliauit diabolũ Christus. Zach. 9. Ezech. 30.

raonis. 3. Quoad potestatem possidentem expulsus est enim à cordibus humanis possidendis. Luc. 11. *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet: si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, & spolia eius distribuet.* Vincitur igitur diabolus facile tanquam inermis, cuius omnes vires debilitauit Christus Dominus, nam quomodo victoriam assequi poterit ille, cui potestas vincendi ablata est? Canem forti ferrea catena statuæ alligatum, quis affirmabit posse per viam transeuntes morsu lacerare? diabolus hoc modo alligatus esse legitur, quomodo ergo poterit in Christianos ad cœlum viam arripientes irruere? Apoc. 20. *Et vidi Angelum descendentem de cœlo, habentem clauem Abyssi, & catenam magnā in manu sua. Et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus, & Sathanas & ligauit eum, &c.* Igitur sicut canis alligatus homines latratu terret, sed non mordet, sic diabolus à longè homini hoc vel illud vitium amplectendum persuadet, sed animam peccati morsu afficere non præualet. *Adhæc.* Fortior est gratia Dei, quam tentatio diaboli, & ratio est, nam donum Dei & opus eius perfectius, & nobilius est, quam opus vnius latronis abiectissimi, nempe teterrimi dæmonis, sed homo Christi antequam peccati mortalis labe inficitur, habet in se gratiam Dei, quam solum vulnus animæ lethale auferre potest iuxta illud: Anima quæ peccauerit ipsa morietur, ergo diabolus non potest hominem in peccatum inducere, tam forti scuto diuinæ gratiæ sese protegētem. 2. Cor. 11. *Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, qui me colaphiset, propter quod ter dominum rogaui, vt discederet à me, & dixit mihi, sufficit tibi gratia mea.* Non autem

[Marginal notes: Luc. 11. — *Simile.* — Apo. 20. — *Fortior est gratia Dei quā tentatio diaboli.* — 2. Cor. c. 12.]

tem

tem gratia Dei ei sufficeret, si per eam mortale peccatum euitare non posset. Præterea sic argumentor. Qui potest illud quod est difficile, multo magis poterit illud quod est facilius, sed homo potest resistere carni, quę pugna est difficilior, quā cum dęmone, tum quia proximior, & diuturnior, tum quia domestica, tum quia caro chara, iucunda, & grata, diabolus vero odibilis, tum quia noscitur esse hostis, tum quia nos non semper tentat, sed semel atque iterum victus recedit. Quod autem possit homo vincere carnem probatur. Gen: 4. *Sub te erit appetitus tuus*, id est in potestate tua habebis affectus tuos & appetitus sensuales. Legitur Iacobi 4. *Resistite diabolo & fugiet à vobis.* Ille ob cuius pugnam & resistentiam alius fugit, habet victoriam super illum qui fugit, sed pugnante homine, & tentationi resistente diabolus fugit, ergo &c. Sed dices minor potestas non potest maiori potestati resistere, sed potestas dæmonis est maior quā potestas hominis, quia vt dicitur. Iob. 4. *Non est potestas super terram, quæ ei comparetur.* Respondeo id verum esse, tamen quantum ad aliquid non esse maiorem scilicet quantum ad liberum arbitrium, quod nulla vi potest cogi, nam homo est dominus suorum actuum per liberum arbitrium non dæmon. Sed & hoc dignum notatu est. Nullam tentationem Deum immittere in hominem, quam ille non possit vincere, ergo semper vincere potest: nunquam autem vinci; 1. Cor. 10. *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt sustinere possitis.* Recté S. Hieronymus inquit. De consensu nostro vires accipit inimicus, nostroq; nos vt dici solet, iugulat gladio. Non adiuuemus,

Gen. 4.

Iac. 4.

Nunquā homo supra vires tentatur.

Epistola ad Demet. virg

mus, ſed vincamus aduerſarios, dant illi quidem cõſilium, ſed noſtrum eſt, vel eligere, vel reſpuere, quod ſuggerunt. Non enim cogendo, ſed ſuadendo nocent, non extorquent à nobis conſenſum ſed expetunt. Hoc quoque ipſi veritati conſentaneum eſſe ipſa ratio indicat, eum cum quo Deus pugnat, ſemper cum victoria ex acie diſcedere. Nam ſi Deus nobiſcum quis contra nos, quis præualebit aduerſus e-
1. Reg: 17. lectos Dei. *Tu venis ad me*, inquit Dauid, *ad Philiſteum, cum gladio & haſta, & clypeo, ego autem venio ad te, in nomine Domini exercituum. &c. & dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te.* & quoniam manus Domini erat cum Dauid, vicit, Philiſteum, & caput eius amputauit, inuincibilis enim eſt, cui Deus in pugnam properanti adhæret. Circa annum Chriſti 498. cum Germani Francis nollent amplius tributarii eſſe, & ſubditi, Clodouæus eos magna vi armorum impetiit, valde dubio dimicauit aduerſus eos Marte. Cumque admodum de ſalute, & de victoria periclitaretur, ad Chriſtum ſe ſupplicem conuertit, obnixe rogans. O Domine IESV Chriſte quem coniux mea filium Dei nominat (erat enim Chriſtiana, dicta Crotildis, nata ex Burgundia, ipſe autem adhuc Ethnicus) rogo, obſecro te ardentiſſimis votis, velis mihi victoriam concedere, ego verò in te credam, & baptiſmum promptiſſimo ſuſcipiam animo. Verba pondus habuere, adfuit Chriſtus Ethnico in auxilium, & contulit victoriæ beneficium. Nactus igitur victoriam, quod vouens Domino Deo promiſit, effectu ipſo exhibuit, baptizatuſq; eſt cum multis militum ſuorum, & aulicorum copiis. O quã igitur facilè vincit, qui Chriſtum in acie præſentem

habet.

habet quoniam verò suis fidelibus Christus Dominus suum auxilium promisit, cum dixit. Ego vobiscum sum, vsque ad consumationem sæculi, quis de victoria, tam potenti Domino, & tam fortissimo duce adiumentum præbēte desperabit? Demum quod homo possit in certamine semper superior dæmone euadere patet, quia contra dæmonem Angelo custode suo sese adiuuante ad præliandum, cum dracone progreditur, sine dubio Angelico suffultus auxilio certam victoriam assecuturus, tum quia Angelorum fortitudo in bellis semper admirabilis extitit, (vt cum centum octoginta millia in exercitu Syriorum interficeret) tum quia nec Hercules contra duos, poterit quidquam præualere. Angelus cum homine, vnum teterrimum dæmonem, facile repellere, & ad fugam arripiendam cōpellere poterunt, quippe Angeli nos ab omnibus insidiis inimicorum visibilium & inuisibilium defendunt, & pro viribus liberare contendunt, iuxta illud Prophetæ. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos*, hoc est, per circuitum timentium Dominum, Angelus eorum, ad illorum auxilium & protectionem deputatus sese immittet, & velut castra metabitur per circuitum eorum, ne possint ad nocendum illis accedere aduersarii, immittet etiam Angelus, & incutiet timorem, & terrorem in circuitu seruorum Dei in aduersarios, qui vndequaque circumdederunt eos, & eripiet inquit eos; id est, non cōtrahet manus quousque à periculis immunes eos relinquat. Habes præclara & satis expressa exempla in Elisæo. 4. Reg. 6. & in Iudith. cap. 13. quæ cum iuramento id asseruit. *Viuit Dominus*, inquit, *quia custodiuit me Angelus eius, & hinc euntem*,

Angelus hominem in pugna confortat.

Psal. 33.

euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem. Anno Dni. 1282. Lituani Polonorum regis Leskonis Nigri regionem Lublin impetierunt irruptione, & spatio dierum 14. misere depopulati sunt, & splendidam prædam ceperunt, secumque in Lituaniam abduxerunt. Hoc vbi peruenit ad aures Regis Leskonis, protinus ex Cracouia se recepit, & Lublinum cum expeditione concessit, ac itinere collegit sex millium equitum copias: at offendit excessisse hostes & euasisse: ignarus igitur quid agendum, visione quadam noctu monebatur, ab Archangelo Michaele, vt statim insequeretur hostes, potiturum enim ipsum victoria. Certiorem igitur huius negotii faciens Rex exercitum suum omnibus animum addit. Cum igitur hostem inectando, 13. Octobris eum præda onustum nacti essent, Lesko Rex suos magnanimis exhortatur dictis, velint pro Christiana religione, & patria fortiter dimicare: deinde irruit in hostes, & multos canes in illos concitat, qui hostes in fugam egerunt, ita vt ab hominibus & canibus maximum & irreparabile vitæ acceperint damnum. Recensitis autem Lesko militibus suis, non vnicum ex omnibus desiderauit, quem amisisset: & sic in veritate deprehendit fuisse Angelum sanctum qui hoc negotii illi dederit. In omni bello in quo Angelus Domini adest, victoria præ foribus stat. Tu igitur Christiane, memor habere te præsentem custodem Angelum inuicto semper animo hostem persequere, fugiet à te, tibi in manibus gloriosam relinquens victoriam, & sic tu legitimè certans, æternam in cœlis mereberis accipere coronam. Si aliquis Imperator sciret, ex sua voluntate victoriam pendere, semper

Lituani inuadunt Regnum Poloniæ.

Angelo suppetias ferente hostes prosternuntur.

victoria

victoria potiretur, ô homo Christiane, ex tua voluntate de tuis hostibus pendet victoria. cur tibi illam vltro ex manibus eripi pateris? vnum verbum profer, nolo, non consentio, iam vicisti. Exemplis quoque idem declarare placet. Prodeat in medium S. Iob vir simplex ac timens Deum, recedensque ab omni malo, & ipse referat, vincibilis ac superabilis sit teterrimus dæmon nec ne? absque dubio facile eum posse vinci, & in angustias redigi respondebit, omni qui virium suarum potentia sine difficultate spoliandum affirmabit. Nam quis ignorat in hunc virum sanctum teterrimum dæmonem, omnia nequissima sua tela aliquoties expediuisse, vt aliquo lethali vulnere animam eius inficeret, & ad blasphemandum nomen Domini Dei sui induceret? Iam illi numerosos greges abstulerat, diuitias eripuerat, filios dilectissimos, & filias repetina domus concussione interfecerat, vt aliquod impatientiæ signum in eo extorqueret; sed in omnibus his non peccauit Iob labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est. Sed & ex his verbis elicere aliquem conceptum licet. Iob 40. *Ecce Behemoth quem feci tecum, fœnum sicut bos comedet*, ac si Dominus Deus diceret ad Iob. Ecce diabolus quem feci tecum, id est cui concessi, vt tecum in mundo maneret, cui & permisi, vt tecum congrederetur, tecum geret bellum, & omnes vires suas in te concuertet. Non tamen iniquum aliquid egi, quoniam etsi crudelis, immanis, & insuperabilis hæc bestia videatur, fœnum tamen, (id est bona terrena, diuitias, facultates, salutem, valetudinem corporis, & quæ ad mundi gloriam, & prosperitatem pertinent, quæ omnia fœnum dicuntur

Variis modis sanctum virum Iob, expugnandum teterrimus dæmon est aggressus.

Isa. 40. *Omnis caro fœnum & omnis gloria eius quasi flos agri exsiccatum est fœnum & cecidit flos.*

Iob. 2. *Ecce in manu tua est verũ tamen animam eius serua.*

Sophrõ. prat. sp. cap. 66.

propter inconstantiam, instabilitatem, & modicum valorem) comedit & consumit, potest inquam teterrimus dæmon substantiam & facultates quæ fœno comparantur deuorare, & solummodo vilia quæque & temporalia homini auferre, nullatenus autem potest Deo adiuuante, quæ magna & grandia sunt, id est animæ ornamenta, vel leuiter attingere. Sumitur etiam fœnum pro hominibus carnalibus, qui externa tantum gloria nitent, nullumque intrinsecus fructum referunt. Ita dicitur: *Cum apparuerint peccatores sicut fœnum,* & iterum. *Fiant sicut fœnum tectorum.* Igitur dæmon tantum deuorat, & absumit homines carnales, deliciis deditos, fragiles, similes fœno, qui præsentia tantum cogitant, & externam solummodo gloriam affectant, interius autem vacui sunt robore ac virtute: non tamen vires habent contra viros strenuos, qui pœnitentiæ operibus traditi, non solum non superantur ab eo, sed eum potius facile superant & reuincunt. Abbas Antonius dux Monasterii Æliotarum, qui etiam illud ædificauit, narrauit nobis de Abbate Theodosio, quod senex ipse hæc de seipso narrabat. Priusquam ad vitam solitariam transissem, factus in extasi, aspexi virum quendam, cuius species claritatem solis vinceret. Hic tenens manum meam, veni ait, quia pugnare & luctari te conuenit, & induxit me in theatrum plenum viris, ex vna parte candido amictu, ex alia vero nigro vestitis. Cum ergo iniecisset me in theatrum, aspicio virum miræ magnitudinis Æthiopem, cuius caput turpissimum penetrabat nubes. Tunc ait ad me iuuenis ille qui mihi apparuerat: Cum hoc luctari te oportet. Ego qui aspectu viri illius proceri territus eram,

eram, tremere, ac pauere cæpi, orabamque iuuenem illum ſplendidum, qui me induxerat in theatrum dicens. Quis hominum mortali conditione & infirmitate circumdatus, cum hoc luctari poſſet? Non ipſum vniuerſum genus hominum, ſi in vnum confluat, huic reſiſtere præualet. Ait autem ad me iuuenis ille præclarus. Prorſus cum illo te luctari opus eſt. Ingredere igitur cum omni alacritate, & fiducia: mox enim, vt illum adorſus fueris, ego adiutor ero, tibique victoriæ coronam reponam. Vt ergo ad certamen ſum ingreſſus, luctarique inuicem cæpimus, continuo præclarus ille Iudex, noſtri certaminis adfuit, mihique coronam dedit. Atq; plebs illa obſcura, Æthiopumque multitudo ingens eiulantes euanuerunt: pars vero reliqua candidorum, gratias illi, & laudes referebant, qui mihi adiumento fuerat, ac præclara victoria donauerat: O quam facilis volenti, & audenti congredi cum dæmone victoria. *Hunc ſenſum ſequi viſus eſt*, idem S. Antonius, qui exploratam habebat ſathanæ fortitudinē, qui monachis ſuis dicere ſolitus erat, illis qui recto corde Deum diligunt, vigilias ſacras agunt, ieiunia amant, orationi intendunt, non eſſe hanc beſtiam timendam, qui non ſolum non vincuntur ab ea, ſed potius egregias de illa victorias reportant. Sed quid cauſæ eſt quod homo facile totus vincatur à diabolo? Attendite. Quemadmodum canis aſſiſtens menſæ, ſi videt hominem veſcentem, ſubinde aliquid eorum, quæ in menſa ſunt, ipſi proiicientem, manet aſſidue. Quod ſi ſemel atque iterum ſic aſtitit, vt diſceſſerit nihil adeptus, protinus abſtinet, veluti qui iam fruſtra & in caſſum aſſiſtat: ſimili modo & diabo-

lus iugiter nobis inhiat, si quod blasphemum verbum ipsi seu cani proiiciamus, hoc accepto rursus aggreditur. Quod si perseueraueris gratias agere, vigilare, carnem fame & inedia castigare, celeriter dæmonem in fugam conuertes, & posthæc coronam promereberis, quam vt vobis reddat iustus Iudex in illa die ex sincero corde precor. Dicatque omnis populus, fiat, fiat.

AMEN.

SECVNDA ORATIO ECCLESIASTICA

In eadem Dominica.

Summa Concionis.

MIles in bellum spirituale expeditur, cui inprimis equus datur, postea arma conuenientia adhibentur, tandem vt in aciem progressus fortiter pugnet cum antiquo serpente, monetur.

MIlitia est vita hominis super terram, & quidem vehemens & assidua, quam nullum vnquam temporis interuallum dirimit, nullus locus intermittit, nulla actio, nullum fœdus interrumpit. Nullus inquam locus eam dirimit, nam siue in Ecclesia, siue in foro, siue in cubiculo fueris, adest vbique locorum aduersarius quærens quem deuoret.

ret. Nullum tempus ab hoc bello vacuum: vulnerat enim malus dæmon, homines in iuuentute libidinis ardentibus sagittis, in virili ætate impetit, crudelitatis, ebrietatis, superbiæ, aliorumque vitiorum telis, in senectute verò arcum suum tetendit, & parauit eum, arcum inquam auaritiæ, quippe sagittas suas ardentibus desideriis habendi, & congregandi bona temporalia efficit. O cruentum & vehementer metuendum bellum, cæterum quod nobis maiorem incutiat timorem illud est, quia non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem sed aduersus principes tenebrarum, qui quidem adeò viribus præstant, vt non sit potestas super terram quæ eis comparetur, facti enim sunt vt nullum timerent, suntq; à multis annorum millibus huic bello assueti. Auget autem euentus huius belli formidinem, quia non de paleis, sed de totius hominis salute agitur. Verumenimuero ne aliquando in hoc bello succumbatis, sed semper Deo adiuuante victores euadatis, decreui apud animum meum in hodierna concione, militem Christianum qualiter in bellum illi sit proficiscendum declarare, Fauete.

Non cum æqualibus nobis pugnandum.

Mali dæmonis viterani milites.

AVE MARIA.

IN bellum militi proficiscenti est summopere necessarius equus, ipsa sacra scriptura, id manifestè approbante, Prou. 21. *Equus paratur ad diem belli, Dominus autem salutem tribuit.* Qualis vtique equus? talis qualem Sanctus Ioannes in sua Apocalypsi describere nititur, cap. 6. *Et vidi & ecce equus albus, & qui sedebat super eum habebat arcum, & data est ei corona, & exiuit vincens vt*

Apocal. Cap. 6.

vinceret, & cap. 19. *Et ecce equus albus, & qui sedebat super eum vocabatur fidelis & verax.* Equum album esse certissimum gratiæ diuinæ indicium facile docebo. Sicut enim Pater diuitiis locupletissimus dilectum filium contra hostem expediens, hoc maximè præuidet, vt filio suo equum generosum tribuat, qui fortiter cum milite nouo in hostem irruat, nec facile quidquam trepidet, sed sua generositate, animum militi addat. Ita Deus Omnipotés quo nullus ditior, sanctum Paulum aduersus vniuersum mundum, & eius Principes debellandos, inuicto & forti animo progredi mandans, videte qualem illi equum ad conterendas hostium vires, & ex illis victoriam reportandam, tribuat. *Sufficit* inquit *tibi gratia mea*, quod verò gratiam diuinam equus significet, res ipsa luce meridiana clarior est. Ezech. 39. *Saturabimini super mensam meam de equo & equite.* Quis eques vel equus alius super mensam Domini, nisi sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum? eques diuinitatis, equus verò humanitatis euidentissimum symbolum existens, at iste eques & equus nunquam sumitur & habetur, à dignè suscipientibus illum, absque ingenti gratiæ diuinæ cumulo, saturabimini igitur super mensam Domini de equo & equite, cum gratia diuina muniti, terribiliores leonibus contra hostes progressi fueritis. Quòd autem ille equus albus fuerit, insinuatur gratiam diuinam ea virtute abundare, vt omnem cui data fuerit efficiat ab omni turpitudine liberum, & immunem, pulchrum & candidum, vt de eius anima iure illud vsurpari possit. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Efficit quoque hominem sincerum quod ille candor significat, vt ne sit duplici corde, loquaturq; dolum cum

Equus symbolum gratiæ diuinæ.

S. Paulus quem equum habuerit in militia huius mundi.

Qui sit equus albus.

cum proximo suo, nec sit venenum fraudis sub labiis eius. Fertur quædam auis esse Caladrius albi coloris, nullam habens partem nigredinis, cuius natura est talis, quod quando aliquis graui detinetur infirmitate, si ægritudo fuerit ad mortem, Caladrius auertit faciem suam á sic ægrotante, & sine dubio, tunc moritur homo, si autem infirmus debet conualescere, Caladrius figit visum in ipsum, & intendit in eum quasi applaudens ei. Tali gaudere priuilegio, eum quem gratia diuina illustrem fecit, patet. ille enim absque omni dolo & mendacio veritati adhæret. Si quis male in voluptatibus vitam traducens degit, hunc non fœlicem, vt adulatores faciunt, sed viuentem in deliciis mortuum appellat, idque sibi displicere, sui vultus auersione indicat, vel qui facit superbiam, aliaque vitiorum perpetrat genera cum hoc non edit, sed qui ambulat in via immaculata, huic applaudens adhæret. Panthera est animal, ex albo & nigro mixtum, & est animal pulchrum per totum corpus, excepto capite, quod est distortissimum, per triduum dormit cum est saturatum, deinde surgens emittit rugitum & odorem suauem, & sic attrahit sibi multas bestias, quibus vescitur, sed quia habet caput distortissimum, ideo ne aliæ bestiæ ipsum accedere abhorreant, abscondit caput, ponés illud inter pedes anteriores, circumspicit animalia currentia, & animal consideratum velociter capit, ipsum deuorando. O animal plenum dolo & fraude, quod illa varietas coloris ex albo & nigro constans, optime denotat, non militum Dei, sed stipendiariorum diaboli hoc est indicium, de quibus Christus. Matt. 33. *Væ vobis hypocritæ, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ*

Caladrius auis.

Panthera symbolum hypocritæ.

tis, quæ foris apparent hominibus speciosa, interius vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. De equo Bucefalo olim oraculum fuisse prolatum legitur, eum quem Bucefalus sessorem passus fuerit, totius orbis dominum fore. Melius ego dicam, qui in equo diuinæ gratiæ pugnam cum hoste instituerit, eum victorem euasurum, & in regno cœlorum coronam habiturum. Memini me legisse duas de equis pulcherrimas historias, quæ quoniam rei nostræ illustrādæ, non modicum subministrabunt auxilium, eas in medium proferre placet. Memoria dignum est, quod à Niceta Choniate, de Alexan. Imperatore Græcorum (qui fratrem Isaacium optimè de eo meritum proditoriè regno eiecerat, oculisque priuauerat) recensetur. Cum enim is è templo rediens, equum fratris conscendisset, ab eo veluti rationis & sensus esset capax, & Tyrannum ac Fratricidam agnosceret, hinnitu, & morsibus, & calcibus exagitatus, eius tandem dorso deiicitur, & gemmata corona capite excutitur. Generosa etiam indoles fuit in equo Regis Antiochi. Cum enim Contraretrus Galata eum in prælio occidisset, & equum regium tanquam bello partum conscendisset; mox visus est equus sentire, tergo suo domini hostem insidere. Itaque dentibus apprehenso fræno, vt nulla ratione habenis iam regi posset, ad altissimum saxum citato cursu contēdit, atque se insidētemque sibi hostem præcipitauit, sua, domini sui mortem vltus. Sic in quo gratia diuina vacua fuerit, & qui dominum Deum sibi fauentem, & multoties dona cœlestia largientem contēpserit, hæc eadem gratia, quæ aliis datur in auxilium, illi erit in perpetuum exitium. Ierem. 5. c. *Et*

Equus Dni. sui hostem deiicit.

collidam in te equum & equitem eius, & collidam in te currum & ascensorem eius. Hunc ergo equum vt habeatis omnem mouete lapidem, sine quo nihil poteritis efficere, nam omnes quidquid sumus gratia Dei sumus, hanc autem cum habueritis, omnia in eo qui vos confortat efficere poteritis. Sed quæ arma miles Christi habere teneatur videamus. Enumerat ea S. Paulus Apostolus ad Ephes. 6. *State succincti lumbos vestros.* Lumbos præcingimus ait S. Gregorius, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus. Hinc Christus vt doceret qua ratione balteum militarem induere deberemus, in desertam solitudinem discessit, ibiq; dies, ac noctes, in summa rerum omnium paupertate traduxit, sine domo, sine lecto sine tecto, preces fundebat ad Patrem, ieiuniis corpus sacrosanctum macerabat. Post balteum præcipit Sanctus Apostolus, vt scutum amplectamur. *Sumentes scutum fidei.* Fide quippe opus est, vt in Deo fiduciam nostram collocemus, & in nobismetipsis diffidamus, credentes omnia quæ nobis seruanda præcipit Ecclesia. Irruit in te teterrimus dæmon, & efficere nititur, vt abiecta animi submissione, elatos sumas spiritus, sume scutum fidei, si credis Ecclesiæ Christi, verba tibi deferenti: Qui se humiliat exaltabitur, & statim à te fugiet diabolus, & sic de aliis &c. *Galeam salutis sumite.* Insinuans homini præ oculis dum pugnat, æternam in mente beatitudinem tenendam, ne eam pro vili carnis voluptate amittere præsumat. Insuper monet Apostolns vt sumamus, *gladium Spiritus quod est verbum Dei.* Si te hostis ad crapulam & ebrietatem inuitauerit Christiane, responde. Scriptum est & toties in Concionibus proclamatum. *Attendite ne grauentur*

Hom. 13. in Euang.

Scutum fidei

Luc. 21.

Luc. 21. *uentur corda vestra in crapula, & ebrietate.* Sed omnium armorum potentissimæ & fortissimæ sunt lacrymæ in orationibus ardentibus coram Domino Deo profusæ. Quid ita? *Stetit Iudith ante lectum orans cum lacrymis &c.* & percussit, bis in ceruicem Holofernis, & abscidit caput eius. Aman consurrexit in Iudæos, & vt omnes vna die neci darentur facile apud Regem obtinuit, contra quem gens Iudæorum non in equis nec in curribus, sed in nomine Dei plangentes in orationibus progressi, victoria sunt potiti dicitur enim Ester

Ester 3. 3. *Quæ cum audisset Mardochæus, scidit vestimenta sua, & indutus est sacco, & in platea ciuitatis voce magna clamabat, & hoc eiulatu vsque ad fores palatii gradiens. In omnibus quoque prouinciis, oppidis, ac locis ad quæ crudele Regis dogma peruenerat planctus ingens erat apud Iudæos*, & ecce paulo post suspenditur crudelis Aman. Simili modo contra dæmonem debellandum, nihil fortius oratione, lacrymis & inedia: quippe *hoc genus dæmonii non eiicitur, nisi in oratione & ieiunio.* Vidistis aliquando ex tormentis bellicis puluere tormentario eiectos globos hostium cohortes deprimere & delere? quid aliud sunt lacrymæ, nisi tormentorum bellicorum globi? Sicut enim illi globi, puluere & igne eiecti, magnam stragem in hostium exercitu faciunt, sic lacrymæ igne feruentis in Deum charitatis, & puluere profundæ humilitatis ex oculis prouocatæ, magnum pondus ad teterrimum dæmonem debellandum in se continent. Sed non sufficit militem, equum, & arma habere, nisi pugnauerit, nam si otiosus manserit, boni militis nomen, nunquam apud homines obtinebit. Militia enim est vita hominis, ergo in ea pugnandum, quod idem à nobis sacra scriptura exposcit. Eccl. 2. *Fili accedens*

Lacrymæ sũt globi ex tormentis bellicis puluere igni to emissi.

Eccl. 2.

cedens

cedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. 1. Pet. 5. *Sobrii estote & vigilate quia aduersarius vester diabolus tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide.* & illud. *Estote fortes in bello, & pugnate cum antiquo serpente, vt accipiatis coronam vitæ.* Pugnandum ergo nobis est O Christiani. nemo enim coronabitur, nisi qui legitime certauerit. In S. Antonium Eremitam teste Atanasio, in eius vita, maximas tentationes permiserat Christus Dominus, cui post dura, diuturnaque cum dæmonibus certamina (a quibus ad mortem vsque multiplicibus plagis confectus erat) tandem lucidissimus quidam de cœlo radius illuxit, in signum fugatæ turbæ dæmonum, & præsentiæ Christi, ac mox ex imo pectore longa trahens suspiria, his verbis compellauit Christum Dominum: IESV vbi quæso eras, cum tam immanes plagas corpore meo exciperem? Qui respondit, eram præsens, ô Antoni, & certamẽ quod excelso inuictoque animo gessisti spectabam. Nunc ergo quia tanta constantia pro mei nominis amore decertasti, ego vicissim nomen tuum toto terrarum orbe celeberrimum reddam. O quàm gratum Deo & Angelis spectaculum, fortis cum dæmone pugna. O quam ingens prœmium militi pugnanti à Deo tribuendum. Vincenti enim dabitur edere de manna, & nomen nouum, vt eum adorent omnes tribus terræ, & Reges seruiant ei. Quis igitur tardus & piger, ad fortiter cum suis hostibus dimicandum erit, præsente tã excelso inspectore Christo Domino. Pulchrum est militem in conspectu Regis strenuè, manus cum hoste conserere, pulchrius irruentibus hostium turmis loco non cedere, pulcherrimum virtutis opus,

1. Pet. c. 5.

Fortitudo Antonii in pugna spirituali.

Christus adest præsens fortiter pugnantibus.

hostem in fugam vertere. O quam ergo iucundum offers Deo sacrificium Christiane, dum irruentibus in te dæmonum cohortibus fortiter resistis, hinc quoque oritur Angelis ingens gaudium, hosti confusio & opprobrium, tibi ipsi internum hic in terris solatium, & posthæc æternum in cœlis prœmium. Dicitur de pisce Mugile, qui quidem piscis est mirabiliter agilis, hic dum insidias piscatorum sentit, statim retrocedit, & ita transilit, vt adesse astantibus videatur. Ille igitur piscis insidias sentit, qui insurgentes tentationes perpendit, & tunc quasi retrocedit, cum ab occasionibus tentationum se subtrahit, & tunc velocissime transilit, quando in ipso tentationis principio mox animum ab ea auertit, vnde Isidorus dicit. Cum te titillat cogitatio, cum tibi aliquid suggerit illicitum, non ibi teneas animum, calca serpentis caput, calca prauæ cogitationis initium. Aper bellua immanis, & rationis expers, prouida tamen periculi, tribus modis se munit contra venatores, primo duriorem corporis partem opponendo, nam in latere suo dextro locum durissimum habet, quem semper opponit venabulo persequentis, & tanquam clypeum validum, illum locum semper obiicit. Sic & vos contra tentationum impetus duritiem, id est asperitatem corporis obiicite secundum illud. Psal. *Ego autem cum mihi molesti essent induebar cilicio.* Hoc sane Christus Dominus ostendere nititur, in campum cum satana descendens, qui Spiritu S. plenus, ieiunio valido, & orationibus feruentissimis intentus, ita eum superauit, vt ostendat, facillimum nobis esse, diuino fauore munitis superare eundem, quantumcunque insuperabilis videatur. Item aper se munit,

Pisces mugilis est mirabiliter agilis.

Principiis obsta sero medicina paratur.

Aper contra pericula prouidus.

Castigatione corporis hostis vincendus.

ſe munit, dentes ſuos ad arborem acuendo, ſciens enim ſibi imminere periculum, acuit culmos ad arbores eos fricans, & fricando eos probat, ſi bene incidunt, quibus poſtea pro gladio vtens, omne quod ferit, laniando dirumpit. Hi culmi ſunt virtutes pœnitentis, quæ acuuntur cum ad arbores fricantur, quaſi enim culmos ſuos ad arbores fricare, eſt ſuas virtutes proprias ſanctorum & fortium virorum cōparare virtutibus, quibus illorum exemplo fortiores reddantur homines. Item aper ſe munit origanum maſticando, nam ſi dentes fricando ad arbores hebetes cognouerit, herbam origanum quærit, cuius virtute maſticando dentes acuit. Origanum itaq; eſt verbum Dei, cuius maſticatione id eſt conſideratione, contra tentationes anima præmunitur. Si enim tibi ſuperbiæ & elationis cogitationes obrepunt, ſtatim occurrere debes cum gladio ſalutis, & quam primum à mente tua reſecare dicens. *Qui ſe exaltat humiliabitur*, & ſic de aliis vitiis. Hoc etiam vſus eſt gladio, Chriſtus Dominus in hodierna pugna quā iniit cum hoſte: ter illum diabolus oppugnauit, & ter illi obſtitit verbo Dei, & ſacræ ſcripturæ teſtimoniis. Si igitur bonum certamen certaueritis, curſum conſumaueritis, fidem ſeruaueritis, reponetur vobis corona iuſtitiæ, quā reddet vobis iuſtus Iudex. Cui laus in æternum. AMEN.

Quid ſit origanum maſticari.

ORA-

ORATIO ECCLESIASTICA

In Dominica II. Quadragesimæ

Et duxit illos in montem excelsum seorsum. Matt. 17.

Summa Concionis.

OStenditur hanc transfigurationem Domini, Arcanum fuisse consilium, seu Comitia tacita, & quis Primas Regni, quis magnus Cancellarius, supremusque Marsalcus sit, pulchre aperitur.

Hieroglyphycum consilii.

COnsilia de rebus magnis esse occultanda veteres docuerunt, qui Plutonem pingebant galeatum & proserpinam rapientem, tum quod subterranea quorum Deus dicitur Pluto, lateant absconditaque sint, tum quia raptus clam fiunt, tum denique quod cum in capite consilii sedes esse putetur, galea illud tegens apte consiliorum occultationem significet. Romanis quoque fuisse consilii domum subterraneam, & in altari aquilam cum crista galli collocatam, monumenta literarum testantur, quippe consilia de re graui, sunt in occulto capienda, & qui alteri vult consilio prodesse, aquilino visu cuncta introspiciat, gallum quoque noctu vigilantissimum in illis exequendis, vel in impedimentis remouendis imitari studeat. Sed & hodierna die Christus de rebus magnis consilium initurus petit locum seorsiuum, sapientissimum queq; participem illius consilii destinat. Attendite, AVE

AVE MARIA.

Consilia inquam arcana in loco seorsiuo esse peragenda quotidiana consuetudo edocet, hodiernum quoque consilium, non alia via fuisse celebratum, sancti Euangelii lectio insinuat, inquit enim. Matt. 17. *Et duxit illos in montem excelsum seorsum.* Assumuntur præterea ad consilium arcanum, præcipui quique ex Senatoribus, qui & rerum variarum cognitione cæteris superiores sint, & authoritate officii, maiorique ingenii acumine, reliquis excellentiores habeantur. Verum neque hoc ab hodierno consilio abfuisse manifestum est, dicitur enim. *Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius*, apparuit quoque Elias & Moyses loquentes cum eo. Primas primusque Princeps Regni fuit. S. Petrus, Christi in terris Vicarius, eiusque gregis Pastor præcipuus, idque conuenienti ratione illustrare placet. Matt. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Quorum verborum planus & obuius sensus est, vt intelligamus sub duabus Metaphoris promissum Petro, totius Ecclesiæ principatum. Prima Metaphora est fundamenti ac ædificii: quod enim est in ædificio fundamentum, id est in corpore caput, in ciuitate rector, rex in regno, Paterfamilias in domo. Posterior est clauium, cui enim traduntur claues ciuitatis, ille instituitur Rex vel certe gubernator ciuitatis, qui quos vult admittat, quos vult excludat. Idem sonāt & illa verba. Ioa. 21.

Arcana consilia sunt celebranda in loco secreto.

Præcipui viri ad consilium assumendi.

Matt. 16.

Bellarminus de primatu Petri.

Ioa. I. *Simon Ioannis pasce oues meas.* Pascere intelligitur, non tantum qui cibum alteri aliqua ratione ministrat: sed qui procurat ac prouidet alteri cibum: quod certè præpositi ac gubernatoris est. Luc. 12. *Quis putas est fidelis dispensator ac prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram?* Itaque illius est pascere, qui est super familiam constitutus. Deinde per verbum Pasce, intelligitur ex communi vsu loquentium, omnis actus pastoralis. Id est enim pascere, quod agere pastorem, siue esse pastorem. Porro actus Pastoralis, non est tantum præbere cibum, sed etiam ducere, reducere, tueri, præesse, regere, castigare. Quid? Pastores ouium, non solum pabulum illis præbent? nonne etiam regunt, & baculo cogunt vt pareant? Primas igitur Primusque Princeps Regni fuisse S. Petrus, in hoc consilio & vbique, concluditur. Cancellarii magni munere functum fuisse, S. Ioannem Euangelistam liquide patet, (qui etiam huic arcano consilio adfuit) illud enim Cancellarii inter cætera officium præcipuum est, scribendis literis inuigilare, & ad quem perferendæ sunt, sine mora transmittere, at de S. Ioanne legimus. 1. Apo. *Fui in Spiritu in Dominica die, & audiui vocem post me magnam, tanquam tubæ dicentis, quod vides scribe in libro, & mitte septem Ecclesiis quæ sunt in Asia,* & infra. *Scribe ergo quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ oportet fieri post hæc.* Ex numero Senatorum fuit vnus S. Iacobus, qui nomine omnium consilio huic arcano assensum præbuit. Apostolos vero esse Senatoria dignitate fulgentes, manifestè Christi verba affirmant. *Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim. &c.* Aderat & Dux belli fortissimus, Moyses inquam fidelis seruus Dei, qui adiuuante Domino

Luc. 12.

Quid hoc verbum pascere significet.

Primas regni quisnam fuerit ostenditur

Cancellarius magnus fuit S. Ioannes Euangelista.

Domino Pharaonem Regem Ægypti, & exercitum eius confregit, vicit, & in mari rubro submersit, populumque Israel ex victoria de hostibus reportata, triumphantem in manu forti, & brachio excelso eduxit. Cui etiam á Domino dictum est. *Veni, & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum filios Israel, de Ægypto.* Insuper Secretarius Magnus, & in consiliis dandis vir magnæ sapientiæ, Elias, consilio huic admissus fuisse perhibetur, de quo olim præclarum encomium dictum est. *Optima propositio, quam locutus est Elias.* Sed dicet aliquis, qua de re hoc consilium arcanum agitatum fuit? Respondeo, de bello, ab hostibus inferendo, quisque in medium suam afferebat sententiam. Ac inprimis Christus Dominus dignitate & authoritate regia præfulgens inquit. Meis omnibus discipulis toto vitæ tempore pugnandum esse assero, neminemq; coronandum nisi qui legitime certauerit, proclamo. Pugnam vero illam duplicem fore. Externam aliam, aliam internam, hanc contra Spiritus, & Principes, rectoresque, tenebrarum harum, illam contra homines peruersos & iniquos quippe, *tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnibus gentibus, propter nomen meum, &: tradent enim vos in conciliis, & in synagogis suis, flagellabunt vos, & ad præsides, & ad Reges ducemini, propter me in testimonium illis, & gentibus, tradet autem fratrem fratrem, & Pater filium, & insurgent filii in parentes, & morte eos afficient. Nolite arbitrari, quod pacem venerim mittere in mundum, non veni pacem mittere, sed gladium?* (O bellum cruentum.) Pugnandum quoque erit aduersus carnem, mundum, & dæmonem, qui sicut Leo rugiens circuit quærens quem deuoret. Ad hæc Moyses. Optima Christi propositio, regnum enim cœlorum vim patitur,

Secretarius magnus.

3. Reg. 18.

Christi votum seu sententia.

Matt. 24. 10.

Moyses sententiam suã profert.

tur, & violenti rapiunt illud, qui vero postposita militia mollibus vestiuntur in domibus regum sunt, & non in domo Dei regnabunt. Idcirco ô Apostoli, hoc bellum in Christi nomine subituri, estote forti & inuicto animo, aderit enim Dominus in auxilium, & non elongabitur à vobis, ne metuatis quod inermes contra armatos, stulti contra sapientes, ignobiles contra nobiles, debiles contra potentes in aciem progressuri sitis. Nam sicut & mihi contra Pharaonem, ita & vobis de cœlo veniet, & non tardabit Dominus in acie auxilum, eligit enim Deus despecta mundi, vt confundat sublimia, & assumit insipientes, vt confundat sapientes, erit Dominus in ore vestro, & docebit vos quid locuturi sitis. Elias quoque inquit. Surgite sicut ignis, leonibus terribiliores, zeloque diuini cultus accensi neminem metuatis, procedite obuiam Regibus, illorumque impietatem arguite, fortes resistite hostibus in fide, & fugient à vobis. Dominus vobis aderit in auxilium, etsi opus fuerit, etiam igne de cœlo emisso, iniurias vestras vlturus, & hostes profligaturus. Et cum sic inuicé loquerétur corda Apostolorum igne diuini amoris inflãmabantur, & vt magis magisq; ad difficultates bellorum subeundas accenderétur, *Trãsfiguratus est ante eos*, ac si diceret? Trepidatis milites bellum hoc laboriosum subire? en videte stipédium vestrum, & præmium laborum vestrorum, si enim strenue pugnaueritis, & victoriam reportaueritis, mihi similes eritis, fulgebitis sicut sol, & sicut scintillæ in arundineto discurretis. Rectè S. Ioannes Chrys. Hom. 57. in Matt. Quoniam multa de periculis, multa de passione sua, multa de morte, & de cæde discipulorum locutus

Elias loquitur.

S. Ioa. Chrysost. hom. 57.

cutus

cutus est Dominus: & aspera complura atque ardua eis iniunxit, & illa quidem in præsenti vita, & iam imminebant: bona vero in spe & expectatione erant: vt puta quia seruarent animam suam, si perderent eam, quia in gloria Patris sui venturus sit, præmia redditurus: vt visu etiam certiores faceret, & ostenderet, quidnam sit illa gloria cum qua venturus est, quantum capere poterant in hac præsenti vita illis ostendit, eamque detegit, ne aut sua, aut domini morte doleant, & maximè Petrus. Hactenus S. Chrysostomus. Præterea insinuat Christus Dominus, admirabilem erga genus humanum amorem suum & inquit. En ego quam pulcher sum, amore tamen vestri breue post tempus, sputis sum deturpandus, funibus constringendus, & pedibus hominum calcandus, vtique Rex & Dominus vester, vos discipuli mei, paria subire erubescetis? Ego cuius nunc facies vobis ipsis præsentibus refulget sicut sol, amore vnius dabo maxillam percutienti me, non fulgorem lucidum, sed liuorem & cruorem in vultu meo pauló post spectabitis, & caput meum, quod nunc lucens splendor exornat, spinis laceratum & arundine percussum spectabitis. Vos mei amore qui estis homines de terra creati: & in terram reuersuri, non etiam parem conditionem subire tentabitis? Ego de quo Pater cœlestis bonum præbet testimonium, quòd illi in me complacuit, & quòd sim dilectus eius filius, tamen propter amorem vestrum assimilabor, homini grauissima peccata habenti, videbitis enim me sicut peccatorem inter duos latrones pendentem, præ doloribus gementem, & in angustiis morientem? Vos qui estis in iniquitate concepti: & in pec-

Christus suā gloriam manifestat, vt eis leuia tormenta futura efficiat.

in peccatis concepit vos mater vestra, non eadem mensura recompensare tantam gratiam studebitis? Ego cuius vestimenta alba facta sunt sicut nix, propter vos & propter vestram salutem, adeò nudus virgis & flagellis cruciabor, vt à planta pedis vsq; ad verticem capitis, non erit in me sanitas? Vos non ibitis gaudẽtes ad contumelias, & flagella propter me sustinenda? O vtinam hac tua transfiguratione bone IESV, vt olim Apostoli ad fortiter cum hostibus dimicandum cõmoueamur. Vtinam amore tui ardeamus, ardẽtes in odorẽ vnguentorum tuorum curramus, currentes brauium accipiamus, accipientes victoriam obtineamus, obtinentes, coronam habeamus, habentes sine fine regnemus.

AMEN.

SECVNDA ORATIO ECCLESIASTICA

In eadem Dominica.

Domine bonum nos hic esse.

Summa Concionis.

TRia bona ostenduntur, quarum dulcedine illectus Petrus in monte illo manere voluit.

Rex nunquã ridere visus.

LEgimus de Rege quodam, qui nunquam ridere visus sit, quique nullis rebus quantumuis iucundis & facetis ad risum commoueri potuerit.

rit. Aulici & consiliarii Regis sui ingenium admirati, fratrem Regis impellunt, causam tristitiæ vt sciscitetur. Cui Rex causam indicaturus, postero die iubet foueam profundissimam stratis in fundo ignitis carbonibus parari, solium vetustate fere corruptum superimponi, inquo fratrem diademate, sceptro, & cultu regio magnificentissimo ornatum collocat, abacum auro argentoque cœlatam, & varii generis vino, epulisque exquisitissimis instructam poni iubet, adhibentur cantores, voce & multiplici instrumento musico modulantes, ministrant mensæ nobiles aulici, neque quidquam Regalis magnificentiæ desideratur. Interim capiti fratris Rex ensem filo bombycino imminentem, è lacunari demittit, armatos milites quatuor subornat, qui strictis ensibus nouum Regem odoriantur, pectus hic, alter tergum, reliqui duo vtrumq; latus mucrone petant. Quibus hoc modo constitutis, fratrem bono esse animo, demere supercilio nubem, & ridere Rex iubet: at is inter tot pericula totus perterritus, & pene exanimatus, quo se vertat nisi præsentissimo cum vitæ periculo non videt, modo vt surgere & abire sibi liceat, per Deos omnes precatur. Cui Rex. Talis est vita hominum. Supra me Deum Iudicem paulo post totius vitæ accuratam postulaturum rationem video, finemque singulis momentis, vitæ meæ tenui filo dependentis vereri cogor. Infra me si lumina defigo gehennæ horribile barathrum, infernalibus flammis ardens intueor. Ante me vitam vario fortunæ ludibrio expositam considero, & tragicos casus extimesco. Retro resipiciens vitam anteactam multis peccatis & erroribus obnoxiam deploro, si

ad vtrum-

ad vtrumque latus oculis deflecto, imminentem vndique malorum congeriem pericula exhorreo. Habes igitur causas tristitiæ meæ. Et re vera ita est, quippe vita nostra ea conditione gaudet, vt dum eius beneficio fruimur, tristitia opprimamur. Ea nobis vita quærenda est, quæ in cœlis est, cuius hodie adumbratam imaginem videns S. Petrus, tanta lœtitia exultauit, vt amplius ad vitam hanc caducam redire noluerit. Sed de hoc fusius in ipsa concione.

AVE MARIA.

Visio diuinæ faciei retinebat Petrum.

PRimum ac præcipuum bonum, quod sua vi Petrum in monte illo retinebat, fuisse faciem Christi sicut sol refulgentem animaduerto, hoc est enim summum bonum, hæc est vita æterna, hæc summa beatitudo, visio diuinæ faciei. Et hoc bono gaudebunt sancti Dei in cœlis, videbuntque Deum perfectè iuxta illud Apostoli, Cor. 13. *Nunc cognosco ex parte tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.* Videbunt inquam Deum sicuti est, illud enim per essentiam suam videtur, quod videtur sicuti est, sed in Patria Deus hoc modo videbitur. ergo. 2. Ioan. 3. *Cum apparuerit similes illi erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Imò videbunt sancti Deum facie ad faciem 1. Cor. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate tunc autem facie ad faciem.* summum igitur bonum est visio diuinæ faciei, ex qua visione diuinæ essentiæ in qua est omnium bonorum eminentia, & perfecta sufficientia, desiderium hominis complebitur, vt amplius nihil desiderare velint sed dicant. Domine bonum nobis hic esse. Homines enim in hac vita desiderant quinque. 1. Longam vitam ducere, & à morte quàm

Cor. 13.

Ioan. 3.

1. Cor. 13.

te quàm longiſſimè abeſſe, hinc ſibi à laboribus parcunt, otio indulgent, & delicatè viuunt. 2. Deſiderant natura ipſa duce ſcire, & rem per cauſam cognoſcere, & efficiuntur curioſi. 3. Quærunt honorem, & efficiuntur ambitioſi. 4. Delectationem, & fiunt voluptuoſi. 5. Bonorum temporalium affluentiam, & efficiuntur raptores iniuſti. Beati in Patria hæc quinque poſſidebunt. 1. Vitam ſine corruptione, nã per viſionenm Dei quilibet efficitur particeps vitæ æternæ. Ioan. 17. *Hæc eſt enim vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*, & Sap. 5. *Iuſti autem in perpetuum viuent.* 2. Habebunt notitiam ſine errore, nam in Deo ſicut in ſpeculo omnia quæ ad eorum beatitudinem requirẽtur intuebuntur. 3. Gloriã & honorẽ, quippe: *Gloria & honore coronaſti eum Domine.* 4. habebunt lætitiã ſine mærore, gaudium ſine triſtitia ſolatium ſine ſollicitudine. 5. Habebunt abundantiã ſine omni defectu, quia beati habẽt perfectè, & inamiſſibiliter Deum, qui ſufficientiã, & excellentiã bonorum omnium in ſe habet. Sap. 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*, ſcilicet viſione diuina. Præterea deſiderium alicuius tunc perfectè completur quando caret omni malo, Apoc. 7. *Non eſurient, neque ſitient amplius, neque cadet ſuper illos ſol, neque vllus æſtus*, quod longè abeſſe à mundana fœlicitate facile oſtenditur. Et quantum attinet ad voluptates, in quibus bonum eſſe multi falſo opinantur dicentes, Sap. 7. (*Venite fruamur bonis præſentibus & vtamur creaturis, tanquam in iuuentute celeriter, vino pretioſo impleti, & vnguentis obliti, omnem captemus fruendis voluptatibus occaſionem, &c.*) in his bonum eſſe quis affirmabit? quippe per illas amittitur benedictio diuina, & acquiritur maledictio, quomodo igitur

Beatorum in patria quinq; priuilegia.

Sap. 7.

Apo. 7.

Sap. 7.

tur bonas voluptates appellabitis, quæ ducunt ad perditionem? quis bonam arborem dixerit cuius fructus mali sunt? Isa. 5. *Væ qui surgitis ad sectandam ebrietatem, & potandum vsque ad vesperum vt vino æstuetis, Cythara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuiis vestris, & opus Domini non respicitis, propterea infernus dilatauit animam suam, & aperuit os suum absque omni termino.* En quo perducunt voluptates vsque ad infernum. Afferam vnicum exemplum, 3. Reg. cap. 4. Erat cibus Salomonis per dies singulos, triginta cori similæ, & sexaginta cori farinæ, decem boues pingues, & viginti boues pascuales, & centum arietes, excepta venatione ceruorum, caprearum, atque bubalorum, & auium altilium. Profectò magna beatitudinis fœlicitas apud Salomonem fuisse tantam rerum copiam audientibus videtur, hinc Regina Saba videns omnem sapiētiam Salomonis, & domum quam ædificauerat, & cibos mensæ eius, & habitacula seruorum, & ordines ministrantium, &c. non habebat vltra spiritum. Fueruntque ei vxores quasi Reginæ septingentæ, & concubinæ trecentæ. O delicias, sed certè nullum bonum in illis fuisse constat, videte fructus earum. *Et auerterunt mulieres cor eius. Cumque iam esset senex deprauatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur deos alienos.* Non sunt igitur dicendæ bonæ voluptates quia malum sibi habēt annexum. S. Hier. Epl. 22. Eustoch. Solus in deliciis Salomon fuit, & forsan ideo corruit. Inquit Plutarchus: Post Calani Indi in rogo interitum: Alexādrum frequentibus amicis & præfectis certamen, & præmium proposuisse potandi meri. Qui plurimum hausit Promartus, ad quatuor congios progressum esse, relatoque pro victoriæ pretio Talento, triduum tantum

Isa. 5.

Magna abundantia Salomonis.

3. 10. Reg.

S. Hiero. Epist. 22. ad Eustochium.

tum superstitem fuisse: ex cæteris vnus & quadraginta, ex vinolentia exanimati. O infelicem voluptatis luxum. Molles fuisse Sybaritas, & voluptarios, genioque & deliciis semper indulgentes, omnis ferè commemorat historia, qui quo mollius cubarent, nulloque strepitu illorum interpellarentur somni, artes illas omnes quæ obstrepunt, quales ærariorum lignariorumque sunt fabrorum, similiumque omnium, extra vrbis pomeria exerceri iussisse, qui gallos gallinaceos eam ob causam in vrbe educari edicto prohibuisse dicuntur. Demumque ad tantam luxus insaniam, vt aiunt peruenere, vt equos etiam suos ad tibiam saltare condocefacerent, quæ res illos funditus postremò euertisse perhibetur. Siquidem Crotoniatæ illis finitimi, & semper infensi (vt autor est Aristoteles) hac percepta re, tibicines, militum ornatu complures in aciem eduxerunt, qui in ipso congressu modum illum quem nouerant equi canere iussi, non solum illos ordine mouisse, sed cum sessoribus etiam ipsis in mediam suorum aciem nullo negotio traduxisse perhibentur. O nimium perniciosas voluptatum delectationes, quæ mergunt homines in interitum. In diuitiis quoque nullam esse beatitudinem insitam, sed potius maximas animi molestias, & afflictiones in illis latere, sacræ docent literæ. Eccl. 2. *Qui homini proderit de vniuerso labore suo, & afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est. Cuncti dies eius doloribus & ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit, & hæc nonne vanitas.* Væ vobis diuitibus, qui consolationem vestram habetis, væ qui saturati estis, quia esurietis, væ qui ridetis, quia lugebitis. Sap. 5. dicetis ô miseri in die tribulationis. *Quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum*

Sybaritarum lasciuia.

Sybaritarum interitus.

Eccl. 2.

Sap. 5.

uitiarum iactantia quid contulit nobis? transierunt illa omnia sicut umbra. De Pithio Bittino legitur, qui tantæ opulentiæ fuisse perhibetur, vt platanum arborem, ac vitem Dario Regi ex auro confectas donarit. Xerxis quoque copias, hoc est septies centena, 98. hominum millia excepit epulo, stipendium quinque mensium, frumentumque pollicitus, vt è quinque liberis senectuti suæ, in delectu, vnus saltem concederetur. Quis in Europa est Rex aut Princeps, cui ad tantum sumptum suppetant facultates? nam ille sumptus; si singulis militibus tres aurei menstrui assignentur, ascenderet mense quolibet, ad vicies centena millia aureorum, id est ad milliones duos, vt ita decem milliones absumpserit, quinque illis mensibus, sed quod commemoratu dignissimum est, non modo post tantam profusionem non impetrauit quæ postularet, sed indignationem Xerxis incurrit: mirum in modum furentis: filium enim suum occisum, in duas partes dissectum, illi spectandum ob oculos posuit, & inter ambas corporis medietates, ab vtraque viæ parte disiectas exercitum pertransire voluit, & sic maiorem illi tristitiam, quam consolationem diuitiarum abundantia attulit, talis est sors omnium, qui sperant in incerto diuitiarum, nam in fine eorum infernus, tenebræ & luctus. Non igitur bonum aliquod quærendum est, in voluptatibus mundanis, aut in bonis temporalibus, sed vt dixi in suprema illa ciuitate, vbi Deus videtur facie ad faciem, ex qua visione omnis beatitudinis fœlicitas promanat. Hinc quondam Iordanus vir sanctitate illustris, cum loqueretur cum quodam energumeno, quæsiuit ex diabolo, vbi libentius vellet manere, in cœlo inquit, causam

Herodotus lib. 7. ca. 4.

Inaudita hominis priuati opulentia.

Ioannes Herold. in suo Prompt. Exemp.

causam quærenti respondit, propter visionem diuinæ faciei, & addidit, vidi inquit Dominum in ictu oculi, quod si iterum mihi concederetur tam breuis conditio videndi Deum in die iudicii, omnia damnatorum, vsque ad illud tempus sustinerem tormenta. Hoc igitur fuit præcipuum bonum, quod sanctum Petrum retinebat, scilicet visio diuinæ faciei. Aliud bonum fuit, quod sua virtute Petrum in monte illo retinebat, splendor albus vestimentorum Christi, facta enim erant vestimenta eius alba sicut nix, famuli siquidem, illi potissimum Domino adhærent, qui vestitu splendido familiam suam exornare consueuit. Certè sancti Dei habebunt vestes in Patria, mirum in modum splendidas, quarum prima erit impassibilitas, qua corpus ex virtute animæ, ab omni læsione seruabitur immune: quia sicut anima perfectè erit subiecta Deo, ita corpus humanum, & quidquid in eo est, animæ rationali perfectè erit subiectum, & ideo in corpore glorioso, non poterit esse dispositio contraria, contra dispositionem qua perficitur ab anima. Quod vt hominibus credibile videatur, adhuc in viuentibus sanctorum corporibus impassibilitatis certissima indicia manifestare voluit Deus Omnipotens. Anno enim millesimo, quingentesimo trigesimo secundo. Andreas Spoletanus, ex ordine Franciscanorum, Rege Fessæ in Mauritania, & principibus multis præsentibus, vt palam faceret esse veram Christi doctrinam, quam prædicabat, vndique flammis est circumdatus, & illœsus in iis diu permansit. Quocirca Mahometani lapidibus in eum coniectis, furentissime illi mortem attulerunt, populo qui eo confluxerat, ex omni parte rem spectante.

Vestes in Patria habebimus satis splendidas.

Tom. Boz. de sign. Ecc. lib 15. ca. 9.

Impassibilitas Andreæ Spoletani in flammis.

Item lib. 9. cap. 5.

Petrus quoque Ignæus, qui Alexandro ſecundo ſedente, cum Florentini in duas eſſent partes diuiſi, & altera ſchiſmaticis, hæreticiſque, Petro Epiſcopo duce adhærerent, altera Alexandro ſecundo, vt oſtenderet Alexandrum verum Pontificem, Chriſtiq; vicarium, Miſſa celebrata, acceptaque ab Abbate Ioanne Gualberto benedictione, ſolo induſio tectus, nudiſq; pedibus, inter duas ſtrues ardentium lignorum, longas decem brachia, altas propè & altas quinque, lento gradu, flammis mediam viam vndique cooperientibus, illœſus lœtuſque tota vrbe inſpectante, inceſſit, cunctiſque obſtupeſcentibus, veritatem maximo miraculo comprobauit.

Miraculū in fauorem ſūmi Pontificis

Incorruptibilitas in medijs flammis.

Sed & S. Franciſcus Aſſiſias, cum mulier quædam Saracenicæ ſuperſtitionis in Syria, vellet eum ad illicita perpetranda pellicere, maximam vim candetium prunarum, quæ aderant, per pauimentum longè lateque diſperſit, deinde ſuper eas accubuit, & cum nihil damni pateretur, mulierem vt idem faceret, inuitauit. Illa re mirabili obſtupeſcens, ſanctimoniamque viri ſuſpiciens, Chriſto nomen dedit: ô veſtem ſeruorum Dei verè pretioſam impaſſibilitatem.

S. Franciſcus ſuper ardentes prunas ambulās non læditur.

Altera veſtis erit ſubtilitas, quantò enim corpora ſunt nobiliora, tantò ſunt ſubtiliora, ſed corpora glorioſa, inter omnia ſunt nobiliſſima, ergo ſubtiliſſima: vt olim Chriſtus Dominus clauſis ianuis venit ad diſcipulos. S. Dominicus Prædicatorum Pater, cum iter faceret, vna cum quodam ex ordine Ciſtercienſi, ac de via feſſus perueniſſet ad ædem quandam vndique occluſam, precibus ſe dedit, ac protinus nullo aditu patefacto, mirabiliter ipſe & comes eius, intus ſe collocatos viderunt, quod in eius vita Ioannes Flaminius

Subtilitas coporis viuentis.

minius

minius refert. Tertia veſtis eſt agilitas corporis, corpus enim ſine labore quo volet mouebitur. II. *Current & non laborabunt, volabunt & non deficient.* I. Cor. 15. *ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute.* Placet vnicum proferre exemplum. Morabantur Edeſſæ præſidii cauſa nonnulli milites Gothi, ex his quidam amore captus puellæ formoſæ, cœpit eam miſerrime deperire. Cum nulla daretur via, qua poſſet ea potiri in coniugio ſibi eam dari efflagitauit. Virginis mater ac propinqui reclamare vniuerſi: homini ignoto, è remotiſſimis locis oriundo, barbaro militi nequaquã decere puellam tradere abducendam in terras longinquas. Victi tandem omnes precibus aſſenſum dedere. Mater à cuius gremio ægerrimè abſtrahebatur, non prius illam barbaro dedit, quam duxiſſet in templum Somonæ, Curiæ, & Abibi Martyrum: ibique datis ſanctis illis fideiuſſoribus, eam bene habendam Gotho, tum demum dedit. At efferus ille voti compos, vt libidinem exſatiauit, abreptam in patrium ſolum procul à ſuis puellam, peſſimo atque atrociſſimo conſilio, viuam ſepulchro incluſit, quippe qui domi aliam coniugem haberet. Ibi Edeſſana fœmina, poſt innumera lamenta, plurimoſque eiulatus, ad opem ſanctorum confugere, illos obteſtari, fideiuſſionem præſtitam vociferationibus miſerandis vſurpare. Adſtitere illi in lucidiſſima veſte, ac bono animo eſſe iuſſerunt, & ſomno placido correptam? (dictu mirum) breuiſſimo temporis ſpatio, è remotiſſima regione, obſerato ſepulchro, eductam reduxerunt in patriam ſuam. Quo rerum tantarum ignarus Gothus, poſtea rurſus venit, agnituſq; vltimo ſuplicio eſt affectus. Quarta veſtis noſtri cor-

Simon Metaph. apud Suri. tom.6. Nouem 15.

Agilitas mulieris Edeſſenæ.

poris erit claritas. 1. Cor. 15. *Seminatur in ignobilitate surget in gloria*, stola enim iucunditatis, & stola gloriæ induet nos Dominus fulgebuntque iusti sicut sol, coronam pulchritudinis habentes super caput suum amicti lumine sicut vestimento. Omnisque exercitus qui erit in cœlo sequetur agnum in equis albis, vestiti byssino albo & mundo. Accidit hoc in Moyse, qui mentis deuotione Christi venturi corpori sese adiunxerat, cum luce diuinitus accepta, colloquio cœlesti diu potitus, tantique consortii participatione illustratus, e monte descendit, & in conspectum populi se dedit: facies namque eius radios vndique emittebat, & Iudæorum nemo poterat aut oculos figere, aut intendere in eum, necesseque ipse habuit velo faciem obducere, atque ita alloqui hebræos. D. Antonius Florentinus Archiepiscopus, doctissimus iuxta ac sanctissimus, crucifixi effigie ad fundendas orationes vtebatur in museolo, in quo inclusus pernoctabat. Domesticus quidam nocte, putans se vocari a beato viro, accessit primum: & cum ingenti luce vidisset locum coruscantem, furtiue obseruans vidit S. virum multo lumine illustratum, longe a terra sublimem, ad crucifixi simulachrum abreptum, quod dulciter alloquens amplexibus stringebat, & lateri defosso, oscula incredibili voluptate perfusus, figebat. Scribunt etiam S. Franciscum, quamuis abesset loco in quo discipuli ipsius erant, adstitisse tamen illis aliquando licet occlusi essent aditus omnes, curru igneo inuectum, ac ter illud domicilium circumdasse, ac supra caput eius nubem quandam in modum solis conglobatam splendentemque fuisse. Eodem modo visus est aliquando in solis

Exod. 34.

In vita eius apud Surium 2. Maii Vincentii Mainandus.

D. Bonauen. in vita eius.

in ſolis locis ingenti vndique luce circumfulgens verba facere cum IESV, Maria, & Ioanne Euangeliſta innumeris Angelis præſentibus. Rurſus cum loqueretur de rebus cœleſtibus ad menſam in qua aderant, abſtracti ſunt omnes à ſenſibus, viſa omnia circumcirca ardere, & ingens vndique incendium excitari. Accurrunt vndique Aſſiſiates, ignem nullum vident, cuncti in obtutu diuinorum defixi. O veſtes mirum in modum ſplendidas, quarum ſplendore obſtupefactus Petrus, Domino ſuo firmiter adhæſiit, omni contempto mundi apparatu. Tertium bonum fuit, Sanctum Petrum in monte illo retinens, ſocietas ſanctorum. aderat enim Elias & Moyſes. Magnum profectò erit gaudium, & ingens beatitudinis cumulus, habere Societatem in cœlis cum matre Chriſti, Patriarchis, & Apoſtolis, Martyribus & Virginibus ſanctis, ibi enim non erit inuidia. Cuius ratio eſt, quia vbi eſt perfecta charitas, ibi inuidia eſſe non poteſt, ſed in beatis eſt perfecta charitas. ergo. &c. Non erit etiam diſcordia, quia ibi non erit vlla diſſenſio cordis vel voluntatis ad Deum. Erit tunc multitudinis vnum cor & vna anima. Rectè S. Chryſoſtomus de reparatione lapſi. *Nulla erit in futuro diſcordia, ſed cuncta conſona, cuncta conuenientia, omnium enim ſanctorum vna concordia erit.* O Societatem deſiderabilem, quis non ardebit ſumma cupiditate, ad illam confraternitatem perueniendi? Quidam olim gentilis Scytha cum febre acutiſſima laboraret, & materia ad cerebrum aſcendente in furiam raptus eſſet, dormientibus omnibus qui circa illum erant, aufugit nudus, tribus diebus, & tribus noctibus per eremum vaſtiſſimam aberrauit. Tertia igitur nocte di-

In cœlo nulla inuidia erit.

Lib. apũ. 2. cap. 53.

gesta materia, rediit ad se cōpos mentis, qui in tenebris horrens quid faceret, quo se verteret nesciebat, cum ecce post instans, modicum discussis tenebris, vidit in montis cacumine ingens lumen, reptās ergo manibus & pedibus, ascendit in montem, & ecce super omnem solis fulgorem Regem admirabilem, vidit in throno aureo residentem, & ad eius dextram, reginam incomparabili decore fulgentem, vidit mixtim seniores & iuuenes, in thronis aureis assidentes, & ministros ex omni parte, vultibus sidereis rutilantes. Hæc vt vidit gentilis obstupuit, nec mora vnus ministrorum à Rege missus, eum vestibus nudum induit, & ad Regem duxit. Cui Rex: nihil, ait, in rebus humanis simile vidisti, & ille, nihil inquit Domine. Et Rex ad eum. Ego sum inquit Christianorum Deus, Rex, & Dominus sempiternus, tu autem redibis ad populum tuum, & perquirens inuenies in gente vngarica, quæ immixta est genti tuæ, duos presbyteros Christianos, à quibus erudieris ad normam fidei Christianæ. Hæc vt audiuit gentilis, renuit bonorum societate frustrari. Et mox ad eum Rex, impossibile est inquit te manere nobiscum, sed si Christianam fidem susceperis, vt præcepi, societate ista iucundissime perfrueris, hoc dicto miles sedens in equo albo suscepit illum, & in exercitum Tartarorum populo mirante reduxit, vestes autem quas nudus acceperat, præcipui coloris atque mollicici, opus vero earum plumarium, id est, ex acu factum, super omne artificium hominis diuina virtute concretum. O societatem omni studio quærendam, quam videns homo Ethnicus, non amplius reuerti ad vxorem, & liberos festinat, sed illi Sanctæ

Mirabilis visio.

congre-

congregationi adhærere desiderat. Quis mihi hoc dabit, vt aliquando illi Sanctæ societati adiungar, vbi vera amicitia sine fuco, charitas sine discordia, & quod me maximè mouet, vita sine termino. Vbi nullus decipit, sed omnes fauent, nullus odit, sed omnes diligunt, nullus increpat, sed omnes pacis osculum tribuunt. O Societas, vbi vera securitas, secura tranquillitas, tranquilla æternitas, æterna fœlicitas, fœlix cum Deo familiaritas. O Societas, vbi omnes amici, & nullus inimicus, omnes fauentes, & nullus aduersarius, omnes protegentes, & nullus hostis erit. O Societas, vbi nemo inuidet, nemo obtrectationibus vexat, nemo insidias struit. O societas, vbi amor sine rancore, feruor sine tepiditate, salus sine infirmitate. O quando dies illa veniet bone IESV, cum ego, ego inquam infœlix peccator, tuus tamen qualiscunque sim, omni tempore vitæ meæ famulus, tuam sanctissimam faciem videro? O horam illam desiderabilem, ô me cum hanc gratiam assecutus fuero fœlicem, terque quaterque beatum. Tua enim facies pulchra & decora nimis, quā qui viderit omni sufficientia repletus manebit? sed quid moror? Anima mea erumpe de ergastulo huius caduci corporis, & curre in montem Domini, & quam humillimè poteris, obsecra Dominum Deum tuum, ne te ab illa dulcissima & iucundissima societate excludat, sed secundum multitudinem miserationum suarum, velit te ibi esse, vbi est bonum verum, bonum summum, bonum infinitum, bonum æternum, bonum sine omni malo, vna vobiscum Audito-

res in Christo dilectissimi, quod nobis tribuere dignetur, qui sine fine in cœlis dominatur. Pater & Filius & Spiritus Sanctus.

AMEN.

ORATIO ECCLESIASTICA

In Dominica III. Quadragesimæ

Qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum dispergit. Luc. II.

Summa Concionis.

QVi abstinet à malo, & nullum facit bonum, eum tanquam seruum inutilem Deo displicere euidentissimis rationibus declaratur.

NON abs re quærendum esse à vobis existimo, sint necne cœlestem gloriam adepturi homines illi, qui malis quidem operibus renunciant, sed bonis actionibus nequaquam vacare desiderant? Reperientur fortassis aliqui, qui huiusmodi homines futuros Christi cohæredes appellare non erubescent, hac ratione subnixi, neminem à regno cœlesti exclusum iri nisi peccatorem, quippe longe à peccatoribus salus, at qui omne scelus fugiunt, etsi reliqua bona opera non exerceant, videntur non esse peccatores, cum à peccatis abstineant, ergo, &c. Adhæc qui vult ingredi vitam æternam seruet mandata Dei, qui à peccatis abhorret videtur seruare

uare mandata Dei, non enim voluntati diuinæ contrarie præſumit, nec illud perpetrare audet, quod Deus fieri vetat, ergo &c. Sed contra. Qui me cum non diligit diſpergit, id eſt, qui non facit bona opera. Sed otioſus manet inutilis ſeruus eſt, & dilapidator bonorum meorum. Rem accuratius tractaturum me polliceor. Vos ſolito more beneuolas, mẽtis & corporis præbete aures.

AVE MARIA.

QVi non vult manum admouere exercendis bonis operibus, etſi abſtineat a malo, eſſe tamen inutilem ſeruum, Deoque vehementer diſplicere patet, nam vel propter pigritiam bonis actionibus operam, nauare recuſat, & hæc eſt ex natura ſua peccatum mortale, vel certè propter odium & cõtemptum boni, & hoc eſt magnum ſcelus bonum odio proſequi, imo præſumitur eſſe hæreticus, qui dicunt bona opera, non eſſe ad beatitudinem æternam conſequendam neceſſaria, & ſic inutilis ſeruus, & Deo odibilis ſit neceſſe; quo ad primum, hominem pigritiæ deditum odio eſſe omnipotenti Deo, vel hinc colligere licet, cum eum verbis obiurgatoriis, vt ſe ad bonum conferat admoneat: aliquem enim nobis diſplicere manifeſtè oſtendimus, cum duro ſermone obiurgantes, vt hoc vel illud agat commonefacimus. Pro. 6. *Vade ad formicam ô piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam, quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe, quod comedat. Vſquequo piger dormies? quando conſurges è ſomno tuo? &c.* nonne hæc verba plena ſunt obiurgati

Qui bonum non operatur peccat.

Pro. 6.

iurgatione? Est etiam piger seruus inutilis, qui enim in procuratione negotiorum Domini sui, ita versatur, vt illi loco consolationis molestiam & tribulationem afferat, eum esse seruum inutilem patet, talis est piger, ergo. Pro. 19. *Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, sic piger his qui miserunt eum in via.* Quoniam vero seruus inutilis est, huic sine dubio subiacebit sententiæ. Matt. 22. *Inutilem seruum eiicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium,* & Ioan. 15. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum.* Quod si propter odium & contemptum boni, à piis abhorret actionibus, maxima miser incurrit incommoda. Pro. 1. *Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis, ego quoque in interitu vestro gaudebo, & subsannabo,* & Isa. 33. *Væ qui spernis nonne & ipse sperneris, cum fatigatus desieris contemnere, contemneris.* Tertio præsumitur esse hæreticus, negāt enim hæretici bona opera conducere ad obtinendam æternam salutem, & hoc ipsum talis homo factis confirmat, contra quos S. Iacobus inquit. *Quid proderit fratres mei, si fidem dicat se quis habere, opera autem non habeat, nunquid poterit fides saluare eum,* & ca. 1. *Qui autem perspexerit in lege perfectæ libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.* Memorant qui nouum orbem perlustrarunt, quædam canum noua genera ibi reperta, quorum & forma & natura nostris nihil fere commune habeat, quidam appellarunt canem agilem, quod omnium pigerrimus sit, toto enim die ad quinquaginta passus non progreditur, caret cauda, sunt illi pedes quidem quatuor, digitis quaternis concretis auium more, magnitudine canum domesticorum nostrorum, præparuo est ore, arborum studiosissimus, quas lentissimo motu conscen-

[Margin: Pro. 19. — Matt. 22. — pro. 1. — Isa. 33. — Iac. 2. — *Id habet Oueti in sum. c. 23.*]

conſcendit, noctu tantum canit, ſex tantum edens tonos, illos præcipue, qui ſunt totius muſices rudimenta, putatur non edere, ſed ali ſuo pingui, cum etenim in ſumma arborum peruenerit, quindecim ac pluribus diebus ibi moratur, abſque vllo cibo, ſemper ore (vt diximus) præparua hiante, vnde ſpiret aura, neque mordere poteſt, color illi ſubcinericius. Alii appellarunt animal hoc pigritiam, ſeu mauis ignauiam: fœmineam illi faciem eſſe tradiderunt frondibus ali viſum, adhærereque arboribus tanta pertinacia, vt non niſi mortuus auelli poſſit, arborē denſiſſimam foliis prorſus nudat. Exemplum certe rei noſtræ accommodatiſſimum. Sunt enim plerique qui videntur, nihil habere commune cum peccatoribus, quibus dicitur *foris canes*, non enim proximorum famam theonino proſcindunt dente, non de aliorum operibus latrant, nec alicui nocere conuincuntur, ſed quoniam pedes eorum non ſunt veloces ad omne bonum opus exercendum, ſuntque molles & effœminati ad ſupponenda brachia diuinis operibus exercendis, recte appellandos pigritiam ſeu ignauiam aſſero, quod vtrumque vitium æternis eſſe obnoxium cruciatibus noſtis. Recte igitur docemus homines, etſi abſtineant à malo, & non faciant bonum inutiles eſſe ſeruos Chriſti. Adhæc ſic argumentor, qui æternos eſt ſubiturus cruciatus, ille conuincitur eſſe inutilis ſeruus, ſed qui bonis operibus incumbere recuſat, æternis cruciabitur tormētis, ergo eſt ſeruus inutilis. Matt. 3. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excindetur, & in ignem mittetur.* Solinus inquit. Sodomi poma giguntur, quæ licet ſpeciem maturitatis habeant, mandi tamen non poſſunt, nam fuligi-

Hæc Ioſephus Ieſuita ſcripſit ex Braſilia anno D. 1560.

Matt. 3. ca. 36.

Poma Sodomitica. fuliginem intrinſecus fauillaceam ambitio tantum eximiæ cutis cohibet, quæ vel leui preſſa tactu fumum exhalat, & fatiſcit in vanum puluerem, ſimiliter homo qui abſtinet à malo, & non facit bonum, deſuper probus & iuſtus eſſe videtur, & dignos fructus proferre multorum ore iactatur, ſed reuera arbor eſt inutilis, æternis iniicienda ignibus. Præterea Solis bona opera facientibus & pro honore & gloria Dei laborantibus, prœmium regni cœleſtis promittitur, ergo qui otioſitati manus dant, nec bonis operibus inuigilant, ab illa mercede excluſi in ignem æternum diſcedent. Matt. 25. *Venite benedicti Patris mei, poſsidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſuriui enim & dediſtis mihi manducare, ſitiui & dediſtis mihi bibere. &c.* Et

Matt. 25. contra dicet eis qui à ſiniſtris ſtabunt. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius, eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare, ſitiui, & non dediſtis mihi potum, hoſpes eram, & non me collegiſtis, nudus & non operuiſtis me, infirmus, & in carcere & non viſitaſtis me:* euidentiſſime ex his verbis colligere licet, eos qui etſi nullum malum committunt, ſed nullum etiam bonum opus exhibent, in æternum damnandos, non enim illis dicitur quia occidiſtis, quia mendacium commiſiſtis, ſed quia bona opera, (qualia ſunt infirmos viſitare, nudum veſtire, eſurientem paſcere) non exercuiſtis. Matt. 20. *Quid hic ſtatis tota die otioſi.* Nullis illicitis rebus operarii illi occupabantur, tantummodo ſtabant indulgentes otio, & tamen duro ſermone & obiurgatoria oratione alloquitur eos Paterfamilias, ſtatimque ad vineam ad ſubeundos in ea labores eos ſeſe conferre ſerio mandans, inſinuans ſibi vehementer diſplicere eos, qui ſe à bonis operibus elongant,

hinc

hinc Apoſtolis. 2. Teſſal. 3. *Quoniam ſi quis non vult operari nec manducet*, & 2. Cor. 9. *Qui parce ſeminat, parce & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, in benedictionibus & metet.* 2. Cor. 9.
Demum, qui tempus inaniter conſumit, cum poſſit aliquod opus bonum exercere peccat grauiter, ſed ille qui abſtinet à malo, & nullum facit bonum, tempus conſumit inaniter, ergo &c. Eccl. 14. *Non defrauderis à die bono, & particula bonæ diei non te prætereat*, ad Gal. 6. Eccl. 14.
Bonum facientes non deficiamus, tempore enim ſuo non deficiemus metentes, ergo dum tempus habemus operemur bonum, & Dominus IESVS Ioa. 6. *Operamini dum dies eſt, veniet nox quando iam nullus poterit operari.* Titus filius Veſpaſiani, qui in vltionem Dominici ſanguinis ſubuerſis Hieroſolymis Romam victor ingreſſus eſt, tantæ dicitur fuiſſe bonitatis, vt cum quadam nocte ſero recordaretur in cœna quod nihil boni die illa feciſſet, dixerit amicis: Hodie diem perdidi. *Heroicum factum Titi Imperatoris.* Omnes ergo qui tempore ſibi ad bonum operandum conceſſo abutuntur, inutiles ſerui efficiuntur, & cum maxima animarum ſuarum iactura, tẽpus fœliciſſimum, & dies ſalutis præterlabi patiuntur. Inſuper ſeruus mandato Domini ſui cõtraire præſumens, & non in omnibus, ſed inquibuſdam tantum eius voluntati morem gerens (vt Regem Saul feciſſe legimus) multis plagis vapulabit, inobedienſq; voci diuinæ coarguetur, nam *quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere*, ſed qui bona non faciunt, licet abſtineãt, à malo ſunt ipſo facto diuinæ voluntati repugnantes, ergo &c. Dicitur enim. *Declina à malo & fac bonũ*, & Deu. 17. *Facies quodcunque dixerint qui præſunt loco, quem elegerit Dominus.* 3. Reg. 13. Propheta quidam de Iuda veniens in Bethel ad coarguendum Regem Ioroboam, multa

Dei præcepta expleuit fideliter, vnicum transgressus de non sumendo cibo in illa legatione, à Leone interfici promeruit. Concludo vnica similitudine. Habeat aliquis Dominus seruum non murmurantem, non latrociniis inhærentem, non poculis exsiccandis incumbentem, sed in otio torpentem, nulli operi manus admouere volentem, & tamen quotidie ad mensam sumendi cibi gratia venientem? Nonne Domino commouet stomachum? nonne toruo intuitu à Domino conspicitur? nonne verbis duris increpatur & sicut seruus inutilis, si se emendare noluerit domo expellitur? Hoc etiam vobis existimandum est de supremo illo Domino Dominantium, si quis enim ex numero Christianorum à malis abhorreat, & tamen bonis operibus non incumbat, talem ille sicut seruum inutilem despiciet. Præstat ergo declinare à malo, & facere bonum, quod vt præstare valeamus donet omnibus nobis Dominus Pater & filius & Spiritus S. AMEN.

SECVNDA ORATIO ECCLESIASTICA

In eadem Dominica.

Omne regnum in se diuisum desolabitur. Luc. 11.

Nemi-

NEminem reperiri posse ex vobis existimo Auditores, qui nolit si optio daretur, maximis affluere diuitiis, omnes quippe bene habere, fœliciter viuere, ab egestate longe abesse, nullius egere desideratis; & quemadmodum quilibet vestrum hoc in optatis habet, vt in domo sua omnia adsint in copia, ita etiam hoc omnibus curæ est, ne egestas vobis superueniens anxietates & calamitatum angustias vobis inferat. Sed tamen & si summo studio & opera in id incumbitis, rarò tamen optatis gaudetis, rarò ad diuitiarum possessiones peruenitis, verum vt plurimum operam & oleum in illis conquirendis perditis, & antiquo more miseria & paupertate oppressi gemitis. Causam huius mali video esse discordiam. Rectè enim dicitur. *Concordia res paruæ crescunt, discordia maxime dilabuntur*, discordia inquã omnia bona aufert, domos euertit, regnorum amplitudinem tollit, omnia corrumpit & destruit. Vt autem magis magisque quantum malum sit hoc vitium, & quod sit omnis egestatis & calamitatis, fons & origo intelligatis, concionem meam, hac de re tractantem beneuolis excipite auribus.

AVE MARIA.

IN domibus vestris multas ob causas egestatẽ infœliciter dominari animaduerto, quarum prima est, cum Paterfamilias longa infirmitate affectus lecto decumbit, quippe medicis multa sunt dona offerenda salutis recuperandæ gratia, multi sumptus profundendi in conquirendis variis medicamentorum speciebus, & cum sic bona dissipantur, & propter *Causæ egestatis dantur.*

 Patris-

Patrisfamilias ægritudinem non augentur, facile domus euacuatur, & egestas introducitur. Alia causa est, vt cum quis vxorem sibi in matrimonio iunxit, nullo dotis adiumento subnixus, talis enim non habita pecunia difficile locupletabitur, nam non facile emergunt quibus sunt angustiæ domi. Cæterum nulla causa egestatis inducendæ in domos vestras efficacior, discordia, cum enim maritus laborando congregat, & pessima vxor bibendo dissipat, domus illa nunquam adimplebitur bonis. Attendite. Patet idem ex Hieroglyphico de discordia aptissime expresso. Pingebāt veteres lupum & agnum, inter quæ duo animalia quis vidit iucundam aliquando cohabitationem, aut aliquam bonorum comestibilium in vnum locum congregationem? imo omnia contraria, cum lupus agnum edat, in partes disiiciat, & deuoret. Addit Alciatus in suis Emblematibus, inter hæc duo animalia diuturnam, ac perseuerantem adeò inimicitiam esse, vt etiam ipsis pereuntibus, ipsa non pereat, vt experientia compertum est. Nam insonante tympano ex lupi pelle confecto, reliqua ex ouina pelle contexta raucescunt, & quasi sonitu priuantur.

Hieroglyphicum discordiæ.

Cætera mutescunt, coriumque silebit ouilum
Si confecta lupi tympana pelle sonent.

Simili ratione inter discordes, nemo vnquam vitam pacatam, lætamque vidit, sed in domo illa, eiulatus, lamentationes, fletus, sanguinis effusiones, rixæ, vulnera, væ, cædes, & bonorum dilapidationes dominari omnibus in aperto est. Cybindus auis bellum interneciuum gerit cum aquila, adeò vt cohærētes sæpenumero prendantur. Ita fit aliquoties, vt dum

Aristotel. de natu. anim. li. 9. ca. 12.

dum mutuum inter se odium pertinaciter exercent homines, vtrique subuertantur, bonisque omnibus & diuitiis priuentur, tertio quopiam in eos inuadente. Hinc à quodam doctissimo viro, comparatur grandini in hæc verba. Discordia assimilatur grandini propter quatuor. Primo, quia grando est dura ad ictum, nam grando fortiter percutit, ex eo quod dura existit, vnde & grana eius lapides in sacra scriptura appellantur. Eccl. 43. *Confracti sunt lapides grandinum.* Prouenit autem duritia grandinis ex eo, quod frigus fugiens calorem aëris, ad interiora nubis se recipit, & ex sua aggregatione virtus eius inualescit, vnde vaporem quem in nube inuenit, sua virtute constringit: & in duram substantiam conuertit: & ideo magis quam in hyeme fiunt grandines in æstate, quia virtus frigoris quæ est in æstate vnitur, & in vna parte aëris adunatur, in hyeme per aërem totum dispergitur, quare debilior redditur, nec ad congelandum vaporem sufficiens inuenitur. Ita discordiæ ex calore iracundiæ, & ex frigore malitiæ generatæ, corda hominum sic indurant, quod vnus erga alium semper sæuiat, & nulla pietate seu benignitate mollis & benignus efficiatur. Sap. 5. *A petrosa ira plenæ mittentur grandines.* Secundo quia grando est subita siue impetuosa quo ad descensum, nam cum de se sit grauis vento etiam impellente cum impetu descendit, & ita etiam similiter cum impetu iræ, & violentiæ discordiarum bella geruntur. *Nam ira non habet misericordiam, neque erumpens furor, sed sicut impetus grandinis turbo confringens.* Tertio, quia grando non est totaliter rotunda quo ad aspectum, nam habet figuram quasi dentis vel mochi. Quia ergo figura rotunda

Mag. Ioa. de S. Geminiano.

Discordia grandini cōparatur.

Eccl. 43.

Cur magis in æstate fiat grando.

Sap. 5.

perfectionem secundum Philosophum importat, quæ in grandine deficit, colligitur bella, discordias, & lites contingere ex defectu charitatis, vel imperfectione. *Charitas enim est vinculum pacis.* Nam cui charitas perfecte adesset, etiam iniuste lædenti, minime repugnaret, dicente Domino. *Qui te percusserit in vnam maxillam præbe ei, & alteram.* Quarto, quia grando est noxia quoad effectum, nam cum impetu terram petit, segetes, fructus, & flores plurimum lædit. *Percussit in grandine vineas eorum.* Sic per discordiam homines occiduntur, gloria extinguitur, diuitiæ tolluntur, libertas amittitur, charitas rumpitur, anima vastatur, & in æternam captiuitatem abducitur. Quæro ego à vobis quid causæ sit, cur Turca infensissimus Christianorum hostis adeò extulit caput, vt illi nemo in opibus & in potentia, toto in orbe terrarum Monarcha, secundus reperiatur? Cur Christianorum exercitus ab illo facili negotio superantur? cur tot millia hominum in seruitutem omnibus diuitiis spoliata abducuntur? breuibus respondeo, eum crescere, Christianos vero minui propter discordiam eorum, rem se ita habere duo exempla comprobabunt. Primum refert Simon Maiolus Episcopus Vulturarien. de bellorum euentibus, vbi sic inquit. Non ignorat Turca discordes esse Christianos, quapropter etiam tantò confidentius arma mouet contra eos, & si qui sparguntur de Christianorum concordia rumores, tanquam inanes & futiles explodit. Id quod ex sequenti narratione satis liquet. Cum aliquando & quidem haud ita pridem. Turcico, Tyranno quidam ex suis, bellum aduersus Christianos dissuadere conaretur, quippe formidandum esse diceret, ne

Colo. 3.

Matt. 5.

Psal. 67.

ret, ne Christiani bello irritati, tandem in vnum cõuenirent, bellumque aduersus eum communi consilio & ope gererent. Tyrannus ridens recitasse fertur fabulam illam vulgo notam de canibus bellum aduersus lupos intentantibus. Cum inquit lupi aliquando magnam canum multitudinem aduentare, aduersus se intellexissent, ingensque, propterea eos terror occupasset: vnus ex iis qui inter eos senior erat, in propinquum mõtem profectus, cacumen eius vt canum specularetur aduentum conscendit. Verum cum eos multos quidem, sed diuersorum colorum esse perspexisset, lœtus gestiensque ad suos reuersus. Bono inquit, este animo. Tanta enim est in hostibus nostris colorum, morum, studiorumque diuersitas, vt consentire vná ac conspirare in aliquam omnes simul non possint, singulos vero, si venerint, absorbere sine difficultate poterimus. Cui conuenit quod Imbraimus interpres Turcici Imperatoris Francoforti in electione Maximiliani II. Cæsaris, cuidam vires & potentiam Germanorum depredicanti respondisse fertur, videri sibi Christianorum animos similes esse belluæ multorum capitum, & plurium caudarum, quæ agitata sepem transire conaretur, vnde cum capita diuersa, diuersa foramina transeundi quærerent, necessarium erat, vt simul & corpus & caudæ immotæ manerent, & ne progrederentur vlterius, impedirentur. Imperatorem vero suum se comparare belluæ vnicipiti, quæ plures caudas haberet, ita vt si caput per vnicum transitum penetraret, necessario & corpus & caudæ vná absq; omni impedimento cogerentur sequi. Qua sane similitudine haud insulsa, nihil aliud innuere voluit,

quam

quam diſſenſionem animorum, & diſtractionem virium Chriſtianorum per quam cum ſuis bonis miſerè pereunt, è contra concordiam & potentiam vnitam Turcarum, per quam magis magiſque creſcunt, & multiplicantur. Tria eſſe quæ Patremfamilias domo pellant communi prouerbio fertur, ſtillam pluuiæ, fumum, & malam vxorem, & hæc tria perquam optimè diſcordiam ſignificant. Tigna enim iuncta ſuper quæ tectum domus ſuperimponitur, quam diu manent integra, ſtillans pluuia non penetrat domum illam, quibus poſtea diſiectis & ſeiunctis, exponitur domus pluuiæ ingruenti, adeo vt Paterfamilias vna cum ſupellectili pedem efferre de domo illa cogatur. Similiter vbi dominatur diſcordia abſque dubio domus illa omnibus ingruentibus malis & calamitatibus expoſita manet, ſecus ſi cor eſt vnum & anima vna. Fumum quoque certiſſimum iracundiæ & diſcordiæ ſignum eſſe ſacræ literæ confir-
Iob. 14. mant. Iob, 14. *De naribus eius procedit fumus*, & Pſal. 17. *A-*
Pſal. 17. *ſcendit fumus in ira eius*, & Apocal. 9. *Et aſcendit fumus putei*
Apo. 9. *ſicut fumus fornacis magnæ, & obſcuratus eſt ſol, & aër de domo putei, & de fumo putei exierunt locuſtæ*, hoc modo diſcordia obſcurat lumen rationis, ne homo bonum intelligat, prodeunt deinde locuſtæ, verba ſcilicet conuitioſa, plena veneno peſtifero cruciatuſque earum ſicut cruciatus ſcorpionum. Mala etiam vxor ſummum in domo malum, quemadmodum enim magna fœli-
Pro. 18. citas eſt, bonam mulierem domi habere, (quippe *qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonum & hauriet ſalutem à Domino*) ita ſumma calamitas vxorem malam poſſidere: ſi quidem, *Melius eſt habitare in terra deſerta quam cum muliere rixoſa & iracunda*, & 19. *Tecta iugiter perſtillantia litigioſa mulier*, & quem-

& quemadmodum mala vxor maritum in angustiarum amaritudine retinet, vitam eius plenam molestiis reddit, domo pellit, sic discordia adest cum omni calamitate & miseria, omneque bonum, & omnem sufficientiam, é domibus eiicit omnemq; miseriam introducit. O veré detestandum malum discordiam. Quapropter diligite alterutrum, nullæ sint inter vos discordiæ, nullæ dissensiones, nullæ rixæ, maximé inter coniuges. Sed potius habete pacem cum omnibus, vt habitare possitis in regnis cœlestibus.

AMEN.

ORATIO
ECCLESIASTICA

In Dominica IIII. Quadragesimæ

Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda. Isa. 9.

Conuiuium opiparum eis qui ex animo Christo Domino seruiunt exhibetur, & certa fercula apponuntur. *Summa Concionis.*

Consuetudinem eam esse apud Patremfamilias, vt cum plurimos operarios ad messem cōduxerit, & iam aliqua ex parte segetes in vnum collegerit, exhibeat lautum conuiuium messoribus, vt eo promptiores & feruentiores labori superue-

peruenienti reddantur: Meſſis in ſacris literis nihil aliud denotare videtur, niſi homines certatim à peſſimis ſuis viis, ad rectas Chriſti ſemitas currentes, & auidè verbum Dei, audiendum, celeri curſu properantes. Matt. 9. & Luc. 10. *Poſthæc autem deſignauit Dominus, & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos binos ante faciem ſuam, in omnem ciuitatem & locum quo erat ipſe venturus, &*

Matt. 9. *dicebat illis. Meſſis quidē multa operarii autē pauci.* Quoniā vero hoc iam ſacratiſſimo quadrageſimæ tempore, multi poſtpoſitis voluptatum illecebris, & contemptis Bacchi deliciis conuerſi ſunt ad Dominum Deum ſuum in toto corde, planctu, & fletu, iamque bonorum operum cæperunt colligere manipulos, & in horreum cœleſtis prædii inferre, ne forte laboribus his aſſiduis vigiliis, ieiuniis, & orationibus fatigentur miſcet Eccleſia amaris iucunda & delectabilia, proponit inquam Chriſtum illis, qui ei fideliter inhærent conuiuium exhibentem, inſinuans qui huic Domino ex corde ſeruiunt, nunquam ab eo derelinquendos, nec ſemen eorum quæſiturum panem. Igitur morem gerens Eccleſiæ matri meæ, vt libentius hos quadrageſimæ labores ſubeatis, conuiuium vobis exhibere decreui, & fercula ea apponere, quæ Chriſtus Dominus his, qui primo quærunt regnum Dei & iuſtitiam eius, tribuere ſolitus eſt. Vos obſecro menſæ accumbite, & adeſte præſentes mente & auribus.

AVE MARIA.

PRimum ferculum eſt Panis fertilitas ſatis copioſa. Quis enim ex agricolis non ſumma ope enititur, vt poſt diurnos nocturnoſque labores, & vigilias,

lias, lætam segetum exuberantiam videat, & lœtus in horrea colligat, attamen frequenter ventus exsiccans, æstus vrens, grando percutiens, spem eius & desiderium frequenter decipit. Cæterum si Deo ex toto corde vestro seruire volueritis, aderit in vestris agris, & campis sufficiens segetum fertilitas, nec mirum, hodie quippe in montibus excelsis & desertis, solisque ardoribus expositis, satis abundantem panis copiam suis sectatoribus Christus Dominus tribuisse perhibetur, non enim difficile Domino huic, etiam supra petram saxosam vberrimos producere segetum fructus. 4. Reg. ca. 7. *Facta est fames* 4. Reg.
magna in Samaria donec venundaretur caput asini, octoginta argen- ca. 7.
teis, & quarta pars cibi stercoris columbarum quinque argenteis, sed adest Deus in auxilium propter vnicum seruum suum Elisæum? fame oppressis, nam in tempore breuissimo, modius similæ vno statere erat, & duo modii hordei statere vno. Prædixit olim septem annos fertilitatis Ioseph Pharaoni, & statim Rex ad eum. *Tu e-*
ris inquit, *super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus po-* Gen. 41.
pulus obediet. &c. hoc modo vos cum audiatis, Christum vobis annos fertiles allaturum, si ei adhærere omnibus postpositis rerum temporalium commoditatibus volueritis, dicite. Si quidé adeo bonus es erga famulos tuos bone Iesv, tu eris super domum nostram, oculi nostri & manus nostræ ad te leuabuntur aures nostræ tua verba audient, & genua nostra ante te curuabuntur, nosque omnes tuo imperio obediemus, & ad te tanquam ad vltimum finem omnes actiones nostras dirigemus. &c. Aliud ferculum vobis ad manducandum propono. Prouidentiam scilicet Christi Domini erga eos, qui suis rebus despica-

tui habitis non quæ sua sunt, quærunt, sed quæ IESV Christi. Ait olim Iacob Patriarcha. *Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum &c. erit mihi Dominus in Deum.* Hoc beneficium quod ex toto corde & supplici oratione exposcebat sanctus Iacob Patriarcha, vt in omnibus sibi Deum fauentem, & prouidentem haberet, ab eoque victui necessaria obtineret, & idcirco se eius perpetuum famulum fore pollicebatur, nobis hodierna die liberali dextra offert Cristus Dominus insinuans nos, vbicunque locorum fuerimus, siue in mari, siue in terra, siue in desertis montibus, si ei adhærere voluerimus, omnem sufficientiam ab eo accepturos. Res clarior patebit exemplis. Filiis Israel quadraginta annis in deserto coturnices & manna ad manducandum misit Deus, & aquam de petra abundantem ad bibendum eduxit. Eorundem vestimenta toto illo tempore non sunt attrita, neque calceamenta vetustate cōsumpta. Elias quoque in magna illa fame, cum cœlum ad eius orationem tribus annis & mensibus sex, sic clausum esset, vt ne gutta quidem aquæ decideret, à coruis, Dei iussu pastus fuit. Danieli ob deiecta Babyloniorum idola, ibi in lacu leonum coniecto, misit Dominus ex Iudæa prandium per Abacuc Prophetam, per aëra vectum. Narratur de sacerdote quodam res multum miranda: sed sic narratur ac tanta fide refertur, vt neminem vllus scrupulus tenere debeat, quin res vera ac gesta fuerit. Ait enim Weselus Græningensis, sacerdotem quendam necessitate niuis, & algoris adactum, dum in Alpibus à via deerrasset, & mitiorem à ventis & niuibus vallē inuenit

Gen. 28. Exo. 16. Deut. 24. *Ex Fischero Roffense lib. 4. con. Oecolam.*

inuenit? ſperans deſiliiſſet neque reductæ quaquauerſum exitum reperiſſet, neque vnde deſilierat, propter altitudinem reaſcendere poſſet, ſub exeſam & propendentem rupem ſeſe fame moriturum plane deſperabundus coniecit. Sed vt erat luna plena, videt noctu ſerpentum diuerſa genera contendere ad lapidem quendam, & illic linguis ſuis eundem lingere, ac poſt horam quoque in antra ſua reuerti. Et incidit ei cogitatus, quid nam illic ita lingerent. Sequenti item nocte factum eſt ſimile, & miratus eſt intra ſe amplius quod ita fieret. Tertia, demum nocte iam plane viribus deſtitutus, ante omnes ipſe acceſſit & linxit, & inter lingendum ita reſtitutus atq; refocillatus fuit, quaſi cibo refectus. Et ſic per totam illic hyemem, ſub rupe latitauit, donec in fine Aprilis niue ſoluta peruiis iam factis Alpibus, quoſdam audiret in vicina colloquentes, quorum ope adiutus & extractus eſt. Vnicum adhuc afferam exemplum, quod Sancto Dominico accidit quodam tempore. Procurator domus indicauit aliquando ſancto viro deeſſe panes. Ille iucundo ſpiritu benedixit Deum, & exiguum illud quod ſupererat, iuſſit fruſtratim menſis apponi: Erant tum in Monaſterio fratres, plus minus quadraginta. Ingreſſi itaque in refectorium, poſt benedictionem, ſinguli buccellas ſibi appoſitas, cum gaudio frangunt, moxque duo iuuenes eiuſdem formæ & habitus, multos inferunt panes, quibus tacite beato viro oblatis, ſubitò recedunt. Tum vir S. ad omnes manus extendens. Iam nunc inquit. Fratres comedite. O miram Dei benignitatem, talem ſe timentibus eſcam præparantis. Tertium, ferculum vobis præbeo Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum,

Factum mirabile.

Prouidentia admirabilis.

Theodorus de Apeldua in vitæ S. Domin. lib. 3. cap. 4.

Panes diuinitus allati.

Mādūcauerunt & saturati sunt.

tum, cuius virtus in hodierno hoc pane à Christo distributo adumbrata fuisse facile colligitur, tum quia manducantes hunc panem saturantur, tum quia quãtum volunt, comedunt ex eo. Mira vobis referam, de hoc sacratissimo pane, vere enim hic solus panis saturat hominem. Refert Albertus Magnus solertissimus rerum variarum indagator de quodam Eremita, qui valde pius sola Eucharistia, apud Heluetios prope Vnderualden. singulis mensibus sumpta, annos quindecim, nullo prorsus alio sumpto cibo vixisse traditur, circa annum Dni. 1465. Erat is Nicolaus nomine, Suitensis, secedens pietatis causa ab vxore, ea ita consentiente, ac liberis: facie ipsa præferebat inediam perpetuam homo macilentissimus: qui cum ea res delata ad Constantiensem Episcopum fuisset, neque fidem adhiberet, iussissetque tria panis obola ab eo sumi, paruit ille quidem, sed ægrè deglutire valuit, tandem obiit, opinione sanctitatis per Prouinciam relicta. Eadem inedia, sola Eucharistia sumpta, diu vixit beata Catharina Senensis, vt Pius secundus suis literis, in eius Canonisatione testatus est. Sed & Anno Dni. 1288, comperta est in Germania, in villa Bykel puella, quæ absque omni cibo annos 30. vixerit. Eucharistiæ Sacrosancto Sacramento contenta. Mirum cum aliquando Sacerdos hostiam nondum consecratam obtulisset, ipsaq; incauta sumpsisset, intra fauces hæsit, adeò vt glutire non valuerit. Id compertum esse tradit Nauclerus, adiiciens, cum mox verè consecrata hostia fuisset oblata, absque omni impedimento glutiisse. Puella etiam duodecim annorum in Tullensi territorio, in villa commerciaco, post Eucharistiam in Paschate

Mirabile exemplum.

Vincenti lib. 24. ca 27.

ſchate ſumptam per triennium omni cibo ac potu caruit. Seuerus Abbas natione Syrus apud vrbem Agathenſem Dominico die, mane ſacram percipiebat communionem, veſpere vero panem cruce ſignatum ab amico deſtinatum ſumebat, altero cibo animam alens altero corpus ſuſtentans, reliquis autem hebdomadæ diebus, cibo pariter ac potu vacuus perdurabat. Aliud eſt quia quantum volueritis, de hoc cibo manducare & ſumere licet. Vult fornicator in hoc cibo ſumere continentiam, accedat digne, prius per confeſſionem de conſcientia ſublatis criminibus, & potietur optatis: eſt enim hoc Sacramentum vinum germinans virgines. Vult immundus ſumere munditiam cordis, veniat & efficietur mundus; eſt enim hoc Sacramentum aqua viua, mundans omnes maculas animæ. Vult iniquus ſumere pietatem, accedat digne & dabitur illi; eſt enim hoc Sacramentum fons omnium bonorum cœleſtium, animam monilibus virtutum exornãs. Vult auarus ſumere animum liberalem ad tribuẽdas pauperibus eleemoſynas, accedat digne, & mutabitur in virum benignum, & miſericordem, eritque cæco oculus & claudo in via baculus, nec poterit ſolus buccellam panis comedere, quin ex ea ſumat pupillus & vidua. Vult ſtultus & inſipiens in tenebriſque peccatorum ambulans ſumere ſapientiam & ſcientiam Dei, accedat; eſt enim hoc Sacramẽtum lumen, quod illuminat omnem hominem veniẽtem in hunc mundum. Vult iracundus mentem pacificam, & quietam ſumere, veniat, & efficietur ſicut ouis manſuetus; eſt enim hoc Sacramentum ſymbolum pacis & vinculum charitatis. Quiſquis igitur acceſſerit ſumet,

met, quantum voluerit, & ratio eſt, quippe in Euchariſtia non ſolum diuinam gratiam, ſed etiã ipſum gratiæ authorem ſuſcipit homo, proprium autem gratiæ eſt, animum eiuſque vires ad omnes tentationes peccatorum corroborare, vſque eo, vt S. Thomas docet, vnicum minimum gratiæ gradum (vt Theologi loquuntur) ſufficere, modo ſuam homo cooperationem non ſubtrahat ad omnes cuiuſcunq; generis tentationes ſuperandas. Accedit, quod ſancti Patres affirmant. Chriſtum in communione ſacra non modo per gratiam & dona ſuæ præſentiæ in animam ingredi, ſed cum ipſo quodammodo corpore miſceri, ac proinde proprium eſſe huius Sacramenti, frangere & debilitare vires cõcupiſcẽtiæ quæ eſt in carne. 2. Reg. cap 6. *Diuertit arcã Domini Dauid in domũ Obededõ Gethæi, & habitauit arca Domini in domo Obededom tribus menſibus, & benedixit Dominus Obededom, & omnem domum eius, & omnia eius propter arcam Dei.* Sic qui in domum ſuam Chriſti carnem introducit, benedicitur à Domino, & nõ ſolum anima eius repletur benedictionibus, ſed & caro ipſa omniaque membra eius diuinæ benedictionis imbre irrigantur, fit caput humile, aures ad conciones, Miſſas, cæteraque diuina officia audienda promptiſſimæ: oculi ex propriorum peccatorum ſuorum, & Dominicæ Paſſionis recordatione ſemper lacrymis ſuffuſi, os ad orationes apertum, lingua ad Deum celebrandum, ad proximi exceſſus corrigendos, ad ignorantes de via ſalutis inſtruendos ſollicita, manus ad elemoſynas in pauperes erogandas liberales; venter ieiuniis & inedia cõfectus, renes caſti & mortificati: crura ad peregrinandum fortia: pedes ad Eccleſias, hoſpitalia, cæteraque pia loca

Qui Euchariſtiam in domum ſuã introducit in omnibus mẽbris benedicitur.

loca inuiſenda veloces, vel inquam benedicit Dominus in Euchariſtia ſumptus hominem, & omnia eius, ac inprimis oculos eius, quando facit hominem ex pulchritudinis mundi huius aſpectu, ad pulchritudinis rerum cœleſtium contemplationem tranſire, & à ſpecie creaturarum, ad venuſtatē aſcendere creatoris. Vt quando ſolis ſplendorem intuetur dicat. Quantò ſplendidior eſt eius conditor? quando lunæ claritatem, & ſtellarum fulgorem aſpicit, ait: quantò his omnibus pulchrior eſt ipſorum creator; Quādo cœlorum, qui ſunt quaſi pauimentum ſiue conuexum paradiſi, ornatum atque decorem oculis & animo luſtrat, inquit. Quantò magis illuſtris eſt ipſius paradiſi ſplendor & elegantia. Benedicit Dominus aures hominis, quando ſuauem inſtrumentorum & cantuum muſicorum harmoniam audiens dicit. Quātò dulcior & gratior, eſt Angelorum in cœlis melodia, illorum videlicet muſicorum ſupernæ aulæ, qui non ceſſant concinere noua cantica coram ſupremo totius orbis Monarcha? Sanctus, Sanctus, &c. Benedicit Dominus hominis nares, quādo ſuauiſſimum florum, moſchi vel ambræ odorē hauriens ait. Quātò fragrantior eſt ille odor qui ex vernantiſſimis cœleſtis paradiſi floribus exhalat, quemque moſchus & ambra diuina, ex glorioſo Chriſti Saluatoris corpore aſſiduo emanantia, ex ſe ſpirant atque diffundunt, nam de illo ſcriptum eſt. *Trahe me poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Benedicit Dominus os hominis quando fructum animantium, piſcium & volucrum, aliarumque rerum comeſtibilium, delicias, & ſapiditatem percipiens inquit, quanto his delicatior eſt illa ambroſia & nectar illud ſuauiſſimum, quo beato-

Benedicit Dominus Deus homini in oculis.

In auribus.

In naribus.

Cant. 1.

In ore benedicit Dominus hominē.

rum animæ in cœlis paſcuntur & reficiuntur de quibus Dauid ait: *Cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra melle ſaturauit eos.* Benedicit man us, quando homo iucundis & caſtis attactibus, & amplexibus parentum, contubernalium, amicorum delectatus, in huiuſmodi voces erumpit: quantò ſuauiores ac delectabiliores ſunt illi contactus & amplexus, quibus Christum amicum chariſſimum, & fratrem omnium noſtrum beati in cœlis tangunt, & amplectuntur? benedicit igitur Dominus propter hanc arcam teſta-

Cap. 17. menti hominem & omnia eius. Hinc Cyril. lib. 4. *Sedat, cùm in nobis manet Chriſtus, ſæuientem membrorum noſtrorum*

Ciryl. lib. 4. *legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit.* & S. Ber. ſerm. de cæna Domini. *Duo illud Sacramentum operatur*

S. Bernar. ſerm. de cæna Domini. *in nobis vt videlicet & ſenſum minuat in minimis, & in grauioribus peccatis tollat omnino conſenſum. Si quis veſtrum nom tam ſæpe modo, nec tam acerbos ſentiant iracundiæ motus, inuidiæ, luxuriæ, aut cæterorum huiuſmodi, gratias agat corpori & ſanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.* O ſalutare ferculum ſacroſanctam Euchariſtiam.

Quartum ferculum. Quartum & vltimum ferculum vobis affero, Panes hordeaceos, duros quidem, ſed quoniam ſuſcepiſtis bona & dulcia, ſuſcipite quoque & amara. Oportet enim vt hoc reliquo quadrageſimæ tempore, omnino toto pectore in orationes, vigilias, flagellationes, longas orationes, inedias incumbatis carnem veſtram caſtigantes, & eam in ſeruitutem redigere pro viribus enitentes, dura quidem hæc ſunt, ſed neceſſaria ad

Tempore quadrageſimæ plorandũ eſt. ſalutem. Non in commeſſationibus, nec inebrietatibus occupemini amplius, ſed de peccatorum veſtrorum turpitudine conpuncti, potum veſtrum cum fletu miſceatis, & in puluere ſedẽtes corde contrito lugeatis. Paſſionis quoque IESV Chriſti

memores, ei compatimini, & erubeſcite, Domino pro vobis, crudeliſſimo & exquiſitiſſimo tormentorum genere excruciato, vos molliter cubare, & delectabilia quæque pro cibo ſumere. Erubeſcite inquam, quia in gratiam Chriſti hoc tempore ieiunii nihil dignum oculis eius exhibuiſtis. Sumite ergo hoc ferculum & libenter manducate, ſi enim compatiemini, & conglorificabimini vná cum Chriſto IESV. Cui laus & gloria, cum Deo Patre & Sancto Spiritu.

AMEN.

SECVNDA ORATIO ECCLESIASTICA

In eadem Dominica.

Colligite quæ ſuperſunt fragmenta ne pereant. Ioan. 6.

PVlchrè oſtenditur qui ſeruiunt Chriſto, omnem habere ſufficientiam, eos vero qui dæmoni adhærent fragmenta decidentia de menſa ſanctorum comedere. *Summa Concionis.*

TEterrimus dæmon, vt valeat quoquo modo auocare homines à Chriſti ſeruitio, oſtendit eos, qui Chriſti tenent veſtigia, famem, nuditatem, egeſtatem aliaque innumerabilia vitæ in

commoda tolerare, omni vitæ ſuæ tempore, illos vero qui ſuo obtemperant imperio omnibus facultatibus abundare. S. Iob. de Elephante ſermonem inſtituens has technas teterrimi dæmonis videtur exprimere, cum dicat, *ſtringit caudam quaſi Cedrum*, Elephas quippe habet caudam breuiſſimam, vt muſcas repellere non poſſit, quas cutem in rugas contrahés occidit, Cedrus vero eſt arbor altiſſima, quæ ergo comparatio caudæ breuiſſimæ cum arbore excelſiſſima? Cauda ſignificat tentationem dæmonis, Metaphora ſumpta, à Dracone, ſerpente, & Scorpione quæ animantia cauda percutiunt. Apo. 12. *Draco cauda trahebat tertiam partem ſtellarum cæli*, id eſt perſuaſione & tentatione, quæ breuiſſima eſt, ſed eam erigit tanquam Cedrum, ſunt enim bona temporalia breuiſſima, quæ ille coram homine extollit, & ampliſſima eſſe ſtudio iactat inani; mala vero, & alia omnia incommoda (de quibus ait Apoſtolus. *Modicum nunc oportet contriſtari*) quæ ſancti Dei pro Chriſti nomine libéter ſufferunt, eſſe longiſſima & abiectiſſima repræſentat. Sed vehementer fallitur, qui huic dæmonis perſuaſioni acquieſcit. Igitur oſtendere placet omnes qui Chriſto Domino ſeruiunt nullius egere, qui autem ſe ab eo elongant, & dæmoni adhærent, fragmentis ſolis contentos eſſe. Res erit iucunda auditu, adeſte fauorabiles.

Ap. 12.

AVE MARIA.

FRagmenta nihil aliud eſſe niſi reliquias ciborum, quos comedunt ad menſam ſedentes, qui diuinæ voluntati in omnibus adimplendæ inhærent, gaudent

dent omnium rerum ad victum & amictum necessariarum sufficientia, at qui dæmonis nutu & imperiò reguntur, sola fragmenta & micas de mensa decidétes manducat. Vtrumque declaro. Quantum attinet ad seruorum Dei conditionem, in prima concione satis dictum à nobis esse existimo, cum de prouidentia Dei erga suos ageremus, subiicio tamen aliqua de fontibus sacræ scripturæ deprompta. Psal. 33. *Oculi Domini super iustos & aures eius in preces eorum.* Hoc pactum inter Deum & iustos videtur initum, vt Deus in illos, ipsi verò in Deum oculos coniiciant. *Dilectus meus mihi, & ego illi,* inquit sponsa: ad iustum enim, Deo eiusque præceptis obtemperare pertinet: ad ipsum verò Deum summo studio, ac diligentia iustum tueri ac defendere, omniaque necessaria ei prouidere. Adhæc. Omnibus Deus preuidet sufficientem cibum animantibus, ergo multo magis iustis hominibus de quibus ipse dixit. *Multis passeribus meliores estis vos,* Psal. 141. *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperies tu manum tuam, & imples omne animal benedictione,* & Psal. 146. *Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Naturales Philosophi referunt, hanc proprietatem esse coruis à natura insitam, vt cum videant natos suos, primum in hanc lucem susceptos pilis albis indui, septem dierum spatio, eos tanquam ignotos deserant, donec ipsi plumis nigris ornentur, tunc enim illis tanquam filiis indulgent, cibumque suppeditant, sed septem illis diebus crocitant ipsi pulli præ inedia, & summo Deo rerum omnium moderatore, ita disponente victus tribuitur necessarius, exigua enim quædam animalia in illorum nidis à Deo collocantur, quibus illi eo tem-

Psal. 33.

Cant. 2.

Psal. 141. 146.

De coruis pulchra narratio.

eo tempore aluntur. Si igitur Deus Optimus Maximus vilibus etiam & despectis creaturis tam singulari prouidentia præest, & vt ita dicã inseruit, quanta erit illius prouidentia in hominem, ad sui imaginem productum, & ad æternam beatitudinem factum; modo illi homo velit fideliter adhærere, & illi soli gloriam & honorem exhibere: & hæc sufficiant de iustorum conditione. Quod autem reliquias ciborum comedant peccatores, patet, hoc enim manducant, quod serui Dei à sua mensa alienant, & proiiciunt. In conuiuiis peccatorum quid aliud est, nisi multitudo ferculorum arte exquisitissima effectorum diuersa genera potuum, ioci, colloquia vana accubantium, breuibus rem absoluo, in mensa peccatorum, est superfluitas ciborum, varietas potuum, auiditas & dissolutio comedentium, quæ omnia serui Dei à mensa sua exulare volunt, & si inciderint aliquando celerrime proiiciunt, iuxta doctrinã. Eccl. 37. *Noli auidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam*, & 31. *Vtere quasi homo frugi his quæ tibi apponuntur ne cum manducas multum odio habearis*, & Apo. Rom. 13. *Sicut in die honeste ambulemus, non in comessationibus & ebrietatibus*, quæ igitur serui Dei de mensa sua proiiciunt, ea peccatores manducant, quomodo ergo fragmentis & micis de mensa decidentibus vesci non conuincuntur? Non me absre facturum existimo, si ad confusionem eorum, qui ad mensas suas non necessitati, sed luxui, & voluptati indulgent, exempla quæque pulcherrima afferam, vt videant & intelligant ea se manducare, quæ viri boni, & quidam adhuc Ethnicorum erroribus inuoluti, à mensa sua abesse summo studio procurabant. Age à Romanis incipiamus Cæsaribus.

A minori ad maius concluditur.

Illud peccatores comedunt, quod decidit de mensa seruorum Dei hinc colliguntur fragmẽta sola comedere. Eccl. 31. Rom. 13.

ſaribus. C. Iulio, & Auguſto, quorum ille tantæ abſtinentiæ fuit, vt vulgo iactatum ſit, vnum hunc ex omnibus Cæſarem ad euertendam Rempublicam ſobrium acceſſiſſe, hic autem præterquam quod vulgaris cibi fuerit, cænam ternis ferculis, aut cum abundantiſſime ſenis præbebat: vt non nimio ſumptu, ita ſumma comitate. Tiberius quoque vt parſimoniam publicam exemplo ſuo iuuaret, ſolemnibus ipſe cænis pridiana ſæpe, ac ſemeſa obſonia apposuit, dimidiatumquè aprum, affirmans omnia eadem habere, quæ totum. Si hoc in ſolemnibus cænis, quid in quotidianis. Quem imitatus videtur Dio. Iulianus Imperator, qui tantæ erat parſimoniæ, vt per triduum porcellum, per triduum leporem dimidiatum diuideret, ſi quis ei forſan miſiſſet, Sæpe etiam nulla exiſtente religione, oleribus leguminibuſque contentus ſine carne cænauerit. Tacitum non eſſe prætermittendum video. Is adeo vitæ parciſſimæ fuit, vt ſextarium vini tota die nunquam potauerit. Conuiuium vero vnius gallinacei, ita vt adderet & oua. Faſianam autem, niſi ſuo & ſuorum natali & diebus feſtiuiſſimis non poſuit. Præ omnibus oleribus affatim miniſtratis, lactucis impatienter indulſit. Argentum vero menſale, quod priuatus habuerat, miniſteriis templorum dedicauit. Inſuper Theodoſii moderationem inſigniter prædicat. Lat. Pacatus. Tuæ Imperator epulæ, menſis communibus parciores, locorum, ac temporum fructibus inſtruuntur. Hinc certatim in omnes luxuriæ pudor, parſimoniæ cultus inoleuit, & quieſcentibus legum minis, ſubiit quādoque priuatim ſui pœnitentia. Sic eſt enim, ſic eſt, exaſperat homines imperata correctio: blandiſſime iubetur

Suet. Aug. cap. 34.

Ibidem cap. 34.

Spartianus.

Fl. Vepiſius.

Paneg.

iubetur

iubetur exemplo, non dissimilis continentia in Agathocle Rege, qui Sicilia potitus, sine fictilibus cœnauit nunquam: memor paternæ obscuritatis, quod figulo patre genitus foret. Nec dispar illi Curius Dendatus, qui cum à Samnitum Legatis adiretur, rapa sibi parare obsonium inuentus est, duosq; tantum calones in castris habere, cum tamen summam Imperii administraret. Magnæ quoque moderationis Cyrus Rex fuit, qui teste Xenophonte eam semper diligentiam adhibebat, vt in mensa ii sermones vsurparentur, qui iucundissimi essent; quique ad bonas laudabilesque actiones incitarent. Non ergo turpes mimorum & histrionum sermones (quibus plerique indulgent) admittebat. Sed & Sertorius nunquã conuiuia sua ad inhonesti normam metiebatur. Certè si Plutarchos fides, in iis nec videri quidquam turpe, nec audiri poterat, vt pote qui suis mandarãt, vt ab omni maledicto & scurrilitate abstinerent nisi certarẽt inter se placidis salibus facetisq; iocis. Prætermitto multa exẽpla Christianorum Principum, & Regum, qui maximam ad mensas suas parsimoniæ & honestatis rationem habuerunt, dies me enim citius deficeret quam illorum enumeratio. Nunc vt ex productione exemplorum constat, quæ viri boni à mensa sua excludunt, nempe ebrietates, luxurias, verba scurrilia, luxus, & lasciuias, hæc omnia in mensa impiorum abundè adesse, nemo non videt, ac idcirco eos fragmenta quæ de mensa bonorum virorum proiecta decidunt manducare concluditur. Præterea sic argumentor. Canum cibus sunt fragmenta diuinis literis idipsum attestantibus.

Plutarchus. *Plut.* *In Sertorio.*

Mat. 15. *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa*

Domini

Domini sui. Peccatores sunt canes ergo cibus illorum fragmenta & micæ de mensa sanctorum decidentes. Probatur minor testimonio sacrarum literarum. Psal. 58. *Famem patientur vt canes.* Eccl. 13. *Quæ communicatio homini sancto ad canem.* 2. Pet. 2. *Sicut canis reuersus ad vomitum.* Apo. 22. *Foris canes & venefici.* & Eccl. 9. *Melior est canis viuus Leone mortuo.* Eutherius per Leonem cacodæmonem intelligit de cuius salute nihil vlterius sperandum, per canem quidem viuum aberrantem & contumacem hominem peccatorem, qui tamen ad obsequium diuinum facile reduci potest, sed tamen vt dixi per canem peccatores intelliguntur, qui voluptates, & luxuriam, comessationes, & ebrietates, quæ sancti summo odio prosequuntur, & à sua mensa abiiciunt, sectantur, & diligunt. Hominem impudentem, carnalem, turpem peccatorem pingebant antiqui hominem nudum cum capite canino, hinc dicitur habere canis oculum qui nimium impudicus est. Vocabantur apud antiquos quidam milites. Petulantes iuniores, hi vt assumptum nomẽ hierogliphica pictura testarentur, canem luteum in rubra parma præferebant, hinc Romani milites qui Pilato adhærebant canes vocantur. Psal. 21. *Circumdederunt me canes multi*, qui secundum legem immundi censebantur & impudentes, qui faciem Christi conspuebant. Ergo ex omnibus præmissis colligitur peccatores esse canes, & non comedere nisi fragmẽta & micas, de mensis sanctorum decidentes. Adhæc qui fragmenta & micas comedunt raro saturantur. Peccatores suis deliciis & voluptatibus nunquam saturantur, ergo fragmenta & micas non verò soli dum cibum comedant est necesse. Psal. 31. *Diuites*

Psal. 18.
Eccl. 13.9.
2. Pet. 2.
Apo. 22.

Homines peccatores esse canes.

Milites petulantes qui.

Psal. 21.

Psal. 31.

eguerunt esurierunt inquirentes autem Dominum non deficient omni bono. Cum Philippus Macedoniæ Rex cibum sumeret iussit Philosophos astantes disputare quænam mundi res maior esset, & primus Olympicus mons mihi inter res mundi maior esse videtur, quia in tantum supereminet, vt nulla naturæ inclementia, nec nubium nec ventorum ad eius verticem perueniat vnquam. Alter verò. Mihi aqua maior apparet, cum propter vtriusque maris immensitatem, tum propter abundantiam fontium, perenniter scaturientium, & fluminum indesinenter currentium. Tertius, mihi lux solis, omnium rerum maior apparet, quia mundum vniuersum, cœlum, terram, aerem vbique illustrat, & cooperit vndequaque. Quartus verò mihi hominis cor omnium rerum maius esse videtur quia potest cuncta quæ in mundo sunt vitia, reputare & despicere, tum etiam quia omnia quæ à Deo creata sunt, eius capacitatem non explent, quantumuis enim multa possideat, plurium capax est. Hic Philosophus scopum attigit, nihil in hac visibili rerum natura corde hominis maius habetur. Hinc Alexander magnus, vniuersi mundi factus Dominus, alios mundos quos Philosophus quidam somniauerat appetebat, nimirum quia mundi magnitudo angusta est magnitudini, & amplitudini cordis humani. Neque hoc mirandum esse existimo, omnia enim mundi bona, omnesque voluptatum delectationes sunt fragmenta & micæ, quæ Sancti Dei à mensa sua excludunt, & alium cibum solidum, nempe solum Deum, & eius voluntatem exquirunt. Sola enim Dei possessio satiat corda humana. Hinc Dauid. Psal. 62. *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram.* quid tibi est in cœlo

Disputatio inter Philosophos pulcherrima.

Optima conclusio.

Psal. 62.

cœlo & in terra? multa per omnem modum, in cœlo nouem Angelorum chori sunt, qui innumerabilia tibi bona conferre valent, in terra omnia regna, aurum, argentum, lapides, pretiosi, honores, diuitiæ, delitiæ, & alia quæ homines auide quærunt? quid mihi hæc omnia ait Dauid à te, hoc est sine te Domine, tu solus cordis mei capacitatem implere vales, cætera autem fragmenta sunt, quæ non satiant animam meam, vnde subdit. *Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum*, & alio in loco. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Nunquid te Rex Sancte non satiant mensæ Regiæ exquisitissima fercula? conuiuia opipara? potus varia genera? Numerosi concubinarum greges? Musicorum concentus? Palatiorum & hortorum amænitas? diuitiarum facultates? Non, inquit, hæc enim omnia sunt fragmenta, solidus vero cibus in regno Dei mei. Concludo. Corda humana, non satiant bona temporalia, quæ summo studio appetunt impii, ergo fragmenta manducant, quæ colligentibus se vix aliquando sufficiunt ad depellendam famē. Addo. Huiusmodi hominibus idem quod canibus contingere solet, canes enim sæpe leui causa, nimirum propter os aliquod, vel panis fragmnentum de mensa sibi proiectum, se identidem mordent, & sanguine aspergunt, vt quilibet sibi proiectum fragmentum absumat? ita etiam impii, voluptatum, honorum diuitiarum valde cupidi propter honorem vel voluptatem quam aucupantur, seipsos carpunt, mordent, pungunt, occidunt, vt in curiis regiis, & in medio platearum fieri quotidie videmus, suis enim *Simile.* concertationibus perturbantur & perturbant, cōmouentur, & commouent, omnia sursum deorsum-

Iudicium cap. 1. que ferunt. *Olim ſeptuaginta Reges, amputatis manuum ac pedum ſummitatibus colligebant ſub menſa Adonibeſec ciborum reliquias.* Qui quidem Reges perquam optimè ſortem improborum denotare videntur, ſicut enim illi micas ciborum colligebant cum magno dolore manuum & pedum ſuorum, ſic & impii laborant, inuigilant, manibus & pedibus, omnem vt aiunt lapidem mouent, cum ingenti moleſtia & cruciatu, nihil tamen aliud

Concluſio. præter micas & fragmenta capiunt. O miſeram illorum ſortem. Eia igitur Chriſtiani, videte miſerabilem conditionem veſtram, dum in peccatorum volutabro ſordeſcitis. Videte inquam & cognoſcite aliquando vos eſſe canes ſolis fragmentis veſcentes. Vbi eſt dignitas veſtra? vbi ſplendor eximius veſter? Si eſtis ad imaginem Dei creati, quæ communicatio ſancti ad canem? Quouſque tandem eritis ſicut animalia bruta quibus non eſt intellectus? Cur potius cibum ſolidum reiectis his, fragmentis, non quæritis. Quærite ergo & inuenietis, pulſate & aperietur vobis, petite & dabitur vobis. Dabitur inquam diuina gratia cœleſtis conſolatio & poſt hæc vita æterna.

AMEN.

ORATIO ECCLESIASTICA

In Dominica Paſſionis.

Eſt qui requirit & iudicat. Ioan. 2.

Sunt

SVnt perquam multi homines, qui dum occultè peccant, ſcelera ſua impune abitura opinantur, ſed turpiter aberrant, aderit enim ſcrutator cordium Deus, qui requiret ſãguinem proximi de manu peccatoris, & retribuet facientibus iniquitatem. *Summa Concionis.*

NVllum eſſe peccatum quod diuinam effugiat vltionem noueritis Auditores, ſit etiam occultiſſimum, ſed nihil occultum quod non reuelabitur, & quæ fiunt in abſcondito prædicabuntur ſuper tecta. Antiochiæ, in remotiore vrbis parte, ferunt virum necatum, qui canem ſibi haberet adiunctum, hunc enim quidam miles prædandi ſtudio interfecerat, & in alias partes ceſſerat. Iacente autem cadauere inhumato, frequens adſtãtium vulgus adſtabat. Canis autem vultu lacrymabili ærumnas Domini ſui deflebat. Is vero qui necem intulerat ingenii verſutia, quo præſumptam fidem adſciret innocentiæ, ad illam circumſpectantis populi coronam quaſi miſerans acceſſit. Tunc canis ſequeſtrato paululum doloris queſtu, audaciam vltionis aſſumpſit. & apprehenſum tenuit, ac velut epilogo quodam miſerabile carmen immurmurans, vniuerſos in lacrymas conuertit fidemque probationi attulit, quia ſolum eum ex plurimis tenuit, nec dimiſit, Sperabat hic homicida peccatum ſuum nunquam in cognitionem hominum venturum, ſed vt dixi nullum malum impunitum. Eſt enim Deus qui requirit & iudicat, ſed de hoc ipſa concione fuſius. *Vincent hiſt. li. 19. c. 13.*

AVE MARIA.

MVltos esse Proceres & Magnates, qui spiritu superbiæ elati, viriumque suarum potentia freti superueniunt, & irruunt in eos qui sunt inferiores opibus & diuitiis, vniuersa arma eorum auferunt in quibus confidebant, & spolia eorum distribuunt, & cum hæc impiè & crudeliter fecerint lætantur, hominem ignobilem à nobili, subditum à Principe iure debito opprimi, nec propterea metuendum sibi quidquam esse crocitantes. Sed est qui requirit & iudicat. Placet Sacræ scripturæ hac de re producere testimonia. Deut. 32. *Mea est vltio, & ego retribuam eis in tempore, vt labatur pes eorum, iuxta est dies perditionis, & adesse festinant tempora.* Psal. 57. *Lætabitur iustus cum viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris, & dicet homo, vtiq; est fructus iusto, vtique est Deus iudicans illos in terra.* Psal. 139. *Cognoui quia faciet Dominus iudicium inopis, & vindictam pauperum,* pulchrè Dauid Psal. 94. Populum tuum Domine humiliauerunt, & hæreditatē tuam vexauerunt, viduam & aduenam interfecerunt, & pupillos occiderunt. Et dixerunt non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. Qui plantauit aurem non audit, aut qui finxit oculum non considerat? Est igitur qui requirit, & iudicat. Adhæc rationibus idem illustrare licet. 1. Deus Omnipotens iustus est, quippe de illo dicitur. *Iustus es Domine, & rectū iudicium tuum, æquitatem vidit vultus tuus,* ergo iustè iudicabit pusillum & fortem, pauperem & principem, & cum omnia adduxerit in iudicium, reddet omnibus iuxta opera

Deu. 32.
Psal. 52.
Psal. 139.
Psal. 94.

opera sua, iustitiæ quoque illud esse officium, nemo non videt, vt per quæ quis peccat, per eadem puniatur, peccat aliquis opprimendo debiles, in die iudicii ipse oppressus lamentabitur. Væ qui spernis nonne & ipse sperneris? Væ qui prædaris quia ipse prædaberis, ergo qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis. Igitur ô Magnates & Principes, qui dum subditos vestros opprimitis, nihil vobis propterea timendum esse iactatis, opprimendos vos quoque aliquando noueritis. Est enim qui requirit & iudicat. 2. Pro quo Deus pugnat contra aliquem Principem, sine dubio succumbendum est Principi, quis enim resistere ante faciem Domini potest. Sed Deus pugnat pro oppressis & afflictis, aduersus Principes ergo &c. *Propter miseriam inopum & gemitum pauperum, nunc exurgam dicit Dominus*. Est qui requirit & iudicat. 3. Omne peccatum in cœlum clamans citissimè iram diuinam accendit, & sicut fulgur in perpetrãtes illud descendere facit, talis est oppressio pauperum, ergo. &c. Sic peccauit Pharao Rex Ægypti, quando paruulos omnes Hebræorum masculos iussit occidi, & totum populum Israeliticum supra vires laborare coegit, & ab exactoribus operum verberari, & flagellari, si quando non implerent opus, Tyrannice imperauit, quod peccatum quia in cœlum clamauit, Deum ad vltionem prouocauit, qui Pharaonem & exercitum eius submersit in mari rubro. Adsunt & exempla rei nostræ illustrandæ accommodatissima. Inquit Nathan Propheta Domini ad Regẽ Dauidem. *Vriam Hethæum percußisti gladio, & vxorem illius accepisti in vxorem tibi. &c. Tu fecisti abscondite, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu solis*. est enim

Per quæ quis peccat per eadẽ punitur.

Deus pro oppressis pugnat.

Pharao misere occubuit quia afflixit populum.

3. Reg. 12.

enim qui requirit & iudicat. Scelerata Iezabel falſo teſtimonio innocentem Naboth oppreſſit, ſed de illa locutus eſt Dominus dicens. *Canes comedent Iezabel in a-*
3. Reg. 21. *gro Ieſrael.* Popelus Regni Poloniæ Princeps, veritus ne Poloni aliquem ex patruis ſuis, in locum ſuum ſubſtituerent, vxoris aſtuto conſilio infirmitatem ſimulauit, patruoſque omnes qui viginti numero erant, Principes Pomeraniæ accerſiuit, & decumbens in lecto obnixe ab eis rogauit, vt vnum filium ſuum ex duobus, regno ſe decedente præficerent, quod libenter patrui ſe facturos ſpoponderunt, ſi Magnates Regni conſenſerint. Regina interea poculum cum veneno mixtum adornauit, & vnicuique bibendum pro ſanitate Regis obtulit. Egreſſi illi à Rege maxima corroſione ex veneno hauſto excruciati omnes pariter expirauerunt. Regina autem cum lætitia dixit, deos, in illos quod malum Regi Domino ſuo machinati fuerint iuſtè animaduertiſſe. Ideo cadauera eorum inhumata quaſi perfidorum in Lacum Gopolo, reginæ iuſſu proiecta ſunt. Sed eſt qui requirit & iudicat. Statim enim Deus iuſtus Iudex & vindex nefandi illius homicidii, murium vim numeroſam dictuq; horrendam ex illis cadaueribus mira quadam metamorphoſi excitauit, quæ Regem in arce laute conuiuantem, vxoremque & filios eius cum terribili ſtrepitu vndique inuaſerunt, & neque armis, neque igne ſe arceri paſſæ ſunt. Popelus terrore vehemẽti perculus in turrim natura loci munitam, & aquis opportunè circumfluam, cum ſuis ſe recepit, vbi cum vxore & liberis à muribus corroſus cõſumptuſque eſt, vt ne monumentum quidem illorum relictum fuerit. Alios etiam videre licet, qui dum in occulto

Popelus à muribus corroſus.

occulto peccant, nihil metuendum esse cum nemo videat, existimant. Sed est qui requirit & iudicat, nonne Deus requiret ista? Ipse enim nouit abscondita cordis. Psal. 90. *Verumtamen oculis tuis videbis, & retributionem peccatorum facies.* Vbique enim locorum Deus est, ergo vbique quid agatur videt. Iob 11. *Excelsior cœlo est, & quid facies? profundior inferno & vnde cognosces? longior terra mensura eius & latior mari.* Præterea qui scit difficilora scit sine dubio faciliora, sed difficilius est scire quid homo cogitet quam quid agat, sed illud scit Deus, ergo hoc magis. Psal. 93 *Nouit Dominus cogitationes hominum quoniam vanæ sunt.* Luc. 6. *Sciebat cogitationes eorum*, & 11. *Et vidit cogitationes eorum* & 24. *Cogitationes ascendunt in corda vestra.* Ioa. 1. Vidit IESVS Nathanael venientem ad se, & dicit de eo. Ecce verus Israelita in quo dolus non est. Dicit ei Nathanael. Vnde me nosti? Respondit IESVS & dixit ei. Priusquam te Philippus vocaret cum esses sub ficu vidi te. Respondit ei Nathanael & ait. Rabbi, tu es filius Dei, tu es Rex Israel. An non igitur manifestum est Dei oculis omnia patere? O summam impudentiam iniquorum, qui quotidie in oculis Domini ea perpetrare scelera non erubescunt, quæ in conspectu vilissimi hominis perpetrare nequaquam auderent. Heu diuinam præsentiam vbique locorum ab impiis contemni & despici? O summam Dei patientiam qui in oculis suis peccantes, fulmine de cœlo cadente non perimit, aut hiatu terræ non absumit. Quis similis tibi in misericordia Domine? quis similis tibi? verè bonus & verè benignus, & multum patiens, sed tamen tempore suo requirens & iudicans solertissimus scrutator cordium. Dixit Cain ad Abel fratrem

Iob 11.

Psal. 93.
Luc. 6.
17. 24.

Magna impudicitia in oculis Domini peccare.

ſuum: *Egrediamur foras, cumque eſſent in agro, conſurrexit Cain aduerſus fratrem & interfecit eum.* Cur dicit egrediamur foras? vt occultè interficiat fratrem ne videant parentes eius, ſed eſt qui requirit & iudicat. Sequitur enim; *Et ait Dominus ad Cain: Vbi eſt Abel frater tuus. Qui reſpondit neſcio. Nunquid cuſtos, fratris mei ſum ego: Dixitque ad eum, quid feciſti? Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* En quomodo requirit Deus & iudicat. Inquit Simon Maiolus dierum Canicularium Author: Inſigne exemplum diuinæ vindictæ accedit non ita pridem, cum enim inſons vir quidam militaris, cum vno atq; altero, ex ſuis comitibus inſidioſe interfectus eſſet, vnus ex illis paulo poſt conſciētia tactus, mania correptus quaſi defendens ſe à iuſtitia miniſtris ſeipſum pugnis petiit, donec cultro incertum vnde illato, circa cor ictus lethales ſibi ipſe inflixit. Cumque interuenirent ii qui curam eius gererent, animaduerterunt murem vel glirem vulneri inhærere, & veluti lambendo ſanguinis fluxum inhibere. Mox repulſo illo ſanguis tam copioſus ex vulneribus erupit, donec necquicquam adhibitis remediis, ad reſtinguēdum aptis, extinctus fuerit. Ex his igitur apparet, nullum ſcelus impunitum relinquendum, nullum peccatum etiam occultiſſimum à grauiſſima Dei animaduerſione remouendum: ſed omnia opera à Deo diſcutienda, & mercede conuenienti remuneranda. Vos igitur qui alios opprimere, & crudeli immaniq; Tyrannide vexare aſſuefacti eſtis, recordemini eſſe eum qui requiret & iudicabit hanc veſtram crudelitatem. Vos quoque qui abdita quæritis loca, & oculi veſtri obſeruant caliginē dum ſceleribus perpetrādis incumbitis noueritis tēpus aliquādo futurum quan-

Libro de dignitate hominis.

Concluſio.

quãdo omnia nefanda opera veſtra in luce clareſcet, & in cõſpectu ſolis quæ occultè perpetraſtis omnium oculis ad videndum ea exhibebuntur. Potius ergo Deum qui ſcrutator cordium eſt ex toto corde diligite, vt ibi ſitis, vbi Dominus veſter regnat ſine fine. AMEN.

SECVNDA ORATIO ECCLESIASTICA

In eadem Dominica.

Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum, Ieſus *autem abſcondit ſe & exiuit de templo.* Ioan. 8.

SI vis ne tibi noceant furioſæ inimicorum minę, ſubtrahe te ab illorum facie, & iam viciſti. *Summa Concionis.*

FErtur vetulã quandã pauperem ſpeculum perſpicuum in ſterquilino reperiſſe, mirata vili loco pulchrum ſpeculum iacere, accepit, faciei admouit, cumque deformitatem vultus ſui in ſpeculo inſpexiſſet, proiecit dicens: Merito ab omnibus abiectum in ſterquilino iaces, quod ſic apertè deformitatem manifeſtas. Quid quæſo aliud eſt is, qui veritatem dicit, quam ſpeculum mundum ad amuſſim? & verè res ſecundum exigentiam earum repræſentans. Sicut enim ſpeculum ſpecioſum vul-

tum speciosum reddit, deformé vero doformé, sic ille quæ bona & pulchra sunt, bona & pulchra profert, profert, quæ vero fœda & mala, fœda & mala dicit, &c. at sicut speculum illud ideo despectum fuit, quod fœda, fœda esse repræsenteret, sic qui fœda & vitiosa talia esse denunciat, abiicitur, despicitur, reprobatur. Hodie quoq; Christus Dominus an non ipsissimā veritaté protulit? sed illa veritas odium peperit, bilé accédit, manus ad tollendos lapides erga eum cōmouit. Christus vero quid fecit? abscondit se, & exiuit de templo. Optimum remedium ad superandos hostes ne noceant. hoc vos si seruaueritis, rem laude dignam, vobisque proficuam exhibituros vos mea docebit concio.

AVE MARIA.

Pro. 27. PRou. 27. *Graue est saxum, & onerosa arena, sed ira stulti vtroque grauior.* Qui igitur hoc grauissimo iracundiæ saxo ferire te voluerit, paululum declina & abscondas te, hostis vero tuus confusione affectus & in seipso tabescens remanebit, quod enim oculus non videt cor non dolet, te quoque cum ab aspectu inimici subtraxeris quando te non videt, ira aduersus te inflammari desinit, hinc quidam satis præclare poeta cecinisse legitur.

In rixis grauibus nonnunquam cedere præstat,
Quam nimium niti victor vt esse queas.
Æquore turbato præstat demittere vela,
Stultitiæ pœnas quam dare morte graues.

Pro. 20. Nec diuerse canunt sacrarum literarum testimonia.
Matt. 5. Pro. 20. *Honor est homini qui separat se à contentionibus.* Mat. 5. *Qui tecum vult contendere in iudicio, & tunicam tollere, dimitte ei &*

ei & pallium. Gen. 37. Oderat quondam Esau Iacob, pro benedictione, qua benedixerat ei Pater, dixitq; in corde suo, venient luctus dies Patris mei, & occidam Iacob Fratrem meum &c. Nuntiata sunt hæc Rebeccæ quæ mittens & vocans Iacob filium suum dixit ad eum. Ecce Esau frater tuus minatur vt occidat te. (grande periculum) videte remedium. Nunc ergo fili mi audi vocem meam, & consurgens fuge ad Laban Patrem meum, in Haran habitabisq; cum eo dies paucos, donec requiescat furor fratris tui. Fugit, & sic vitæ suæ consuluit, omneque periculum euasit. O salutare remedium. Ostenditur idē similitudinibus pulcherrimis. 1. Ignem extingui sit necesse cum subtraxeris ligna, sic ignis iracundiæ, extinguitur si cum verbis duris & cōuitiosis inflammare nolueris, sed subito cum flammas eructare cæperit, pedem inde moueas. Ecclesi. 8. *Non litiges cum homine linguato, & non strues in ignem illius ligna,* 2. Silex nequaquam scintillas igniferas sponte propria emittere visus est nisi tum, cum ferrum illi summo impetu admotum fuerit, hoc modo ira inimici nunquam ebulliet, si te subtraxeris nec cum illo impatienti responsione congredi tentaueris. 3. Audiuntur fulgura & tonitrua, conspiciuntur coruscationes, nubes adsunt densissimæ quæ omnia sunt certissima venturæ pluiæ indicia, si tu volueris euadere pluuiam, fugito sub tectum. 3. Reg. 18. Inquit Elias ad puerum. *Ascende & dic Achab. Iunge currum tuum & descende ne occupet te pluuia.* Sic cum ex ore hominis procedunt verba fulminosa, oculi fiunt turbidi, pedes manusque incompositè mouentur, &c. tu cede ne te grando percutiat, aut pluuia occupet. 4. Aliquis

Gen. 17.

Simile.

Eccl. 8.

3. Reg. cap. 18.

iaculator nititur ſagitam in ardentem candelam dirigere, & dum ipſe operi intendit, candelam aliquis loco mouet, ſagitta fruſtra emiſſa volat candela integra remanēte. Non diſpari ratione decreuit quiſpiam in animo, verbis te duriſſimis impetere, & linguam ſuam ſicut ſagittam acutam in famam tuam dirigere, tu cede loco volabit fruſtra emiſſum verbum.

5. Domus aliqua concepit flammam ardentiſſimam, qui intro ſunt fugam arripiunt, & ſic pedibus vitæ conſulunt, ardet quiſpiam aduerſus te iracundia, tu abſcondas te, & ſaluaſti animam tuam. Afferam quoque vobis hiſtorias auditu iucundiſſimas. 1. Reg. 19. Et factus eſt Spiritus Domini malus in Saul, ſedebat autem in domo ſua & tenebat lanceam, porro Dauid pſallebat manu ſua, niſuſque eſt Saul configere Dauid, & declinauit Dauid a facie Saul, lancea autem caſſo vulnere prolata eſt in parietem, & Dauid fugit & ſaluatus eſt nocte illa. Alio quoque tempore, miſit Saul ſatellites ſuos nocte in domum Dauid, vt cuſtodirent eum & interficeretur mane quod cum annuntiaſſet Dauid Michol vxor ſua dicens: Niſi ſaluaueris te nocte hac, cras morieris, depoſuit ergo illum per feneſtram, porro ille abiit, & aufugit, & ſaluatus eſt. Recte S. Chryſoſt. hom. 3. Si imaginem Dauidis præ oculis habeas, & in hac aſſidue defigas oculos etiamſi millies obtundet ira mentis oculum perturbans, ad hoc virtutis exemplar reſpiciēs perfectam conſequeris ſanitatem. Ne quis igitur mihi dicat. Inimicum habeo ſceleſtum, improbum incorrigibilem, quidquid dixerit non eſt tamen Saule deterior, qui ſemel & iterum imo ſæpius, ſeruatus à Dauide, cum ipſe mille modis illi ſtruxiſſet inſidias, ta-

Dauid fugiendo euaſit periculum.

men

men pro tot beneficiis acceptis perseuerauit in sua malitia, Dauid autem subterfugiendo eius insaniam illo extincto ab hostibus, meruit in solio dignitatis Regiæ Deo sic volente collocari. Adhæc. Stultus in sua stultitia non poterit nocere sapienti viro, sed qui fratri suo irascitur stultus est qui autem eius furiis cedit sapiens agnoscitur, ergo stultè ira excadescens non nocebit sapienter recedenti. Eccl. 7. *Ne sis velox ad irascendum quia ira in sinu stulti requiescit, fatuus statim prodit iram suam.* Qui verò irascenti non contradicit, sed quieto & placido animo discedit sapientis viri cognomen subeat necesse. Facit enim id, quod suo exemplo faciendum Christus IESVS sapientia æterna insinuauit. Prou. 15. *Vir iracundus prouocat rixas, & qui patiens est mitigat suscitatas.* Præterea. Qui Dei explet præceptum magnum consequitur meritum, qui vero resistit diuinæ voluntati sine dubio animæ suæ ingens facit detrimentum, sed qui in se consurgenti non cōtradicit, & pacifice ab eo recedit, diuinis obedit mandatis, qui verò irascitur fratri suo succumbit præuaricationi, ergo ille meritum, hic detrimentum capit. Leu. 19. *Non quæras vltionē nec memor eris iniuriæ ciuium.* & Prou. 20. *Ne dicas reddam malum, expecta Dominum & liberabit te,* ergo sic infertur. Nemo ex vna actione simul refert meritum & demeritum, commodum & detrimentum, sed subterfugiens iurgia habet meritum, & commodum, ergo nunquam incurrit demeritum & detrimentum. Ne igitur dixeritis, fugit, euasit, erupit, & idcirco timidus est, & magis metuens quam metuendus, homo pusillanimis, & ad vnum strepitum folii de arbore decidentis trepidans. O virum lepori & non leoni similem effæminatum, & mollem

Eccl. 7.
Prou. 15.
Leu. 19.
Pro. 29.

mollem, ne hæc inquam dicere præſumatis, imo virum fortiſſimum, ſapientiſſimum & acerrimum militem dixeritis. Fortior eſt enim qui ſe, quam qui fortiſſima mœnia vincit, multos ſuperauit, qui affectui imperauit. &c. Inſuper facilius ille victoriam aſſequitur, imo nunquam ab hoſte ſuperatur, cui Deus pugnanti adhæret, & manus eius confortat, ſed ſubterfugienti iurgia, & patienter omnia ſuſtinenti adeſt ſubito Deus in auxilium, acerrime pro illo pugnaturus, & iniurias illi illatas vehementer vlturus ergo. &c. Deu. 12. *Mea eſt vltio & ego retribuam.* Rom. 12. *Non voſmetipſos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ, ſcriptum eſt enim mihi vindictam & ego retribuam.* Igitur, quoniam increpationibus duriſſimis aliquem diuexaſti, latronem, furem, ſcurram appellaſti, lætaris ac ſi inimicum inſanabili plaga & lethali vulnere affeciſſes, ſed falleris miſer, ille quidem tacuit, ſed multa mala tibi intulit, quid enim facies, cum pro hac eius iniuria tecum in iudicium venerit Deus, & te condigna pœna caſtigare voluerit? Non igitur illum, ſed te ipſum afflixiſti, non illi ſed tibi ipſi vulnera, imo mortem crudeliſſimam intuliſti, non illum lœſiſti, ſed Deum aduerſus te exarcebaſti, ignemque gehennæ promeruiſti. Expecta ergo paululum & veniet ſuper te manus Domini, & cum te tetigerit, tum cognoſces quia ipſe eſt Dominus Deus vlciſcens iniurias ſeruorum ſuorum, & retribuens vindictam ſuperbis. Valentinianus ſenior Imperator, Anno Dni. 375. cum ingenti belli apparatu aduerſus Sauromatas eſt profectus, quod ditionem Romanam, eamque Imperii partem, quæ ad occidentem vergit excurſionibus vexarent. Atque illi tantam Imperatoris expedi-

Deu. 12.
Rom. 12.

expeditionem formidantes, legatis missis pacem ab eo petierunt. Quos vbi deformes esse vidisset, an vniuersi tales essent Sauromatæ interrogauit. Et cum illi dixissent optimos quosque, qui & genere & forma præstarent, ab eis legatos solere mitti, ira atque furore multo correptus, grauia pati dixit, & maxime infortunatum esse, quod ad tempora sua peruenisset Romanorum Imperium, si Sauromatæ gens tam barbara & informis, in qua reliquos isti excellerẽt: essent cõfidentia tanta impulsi, vt ditionẽ suam percurrerent, & bellum si titillatione quadam illecti Romanis inferrent. Et cum ita indignaretur, & magnopere vociferaretur, nimia vocis intensione, conuulsa in eo esse interiora viscera, venamq; & arteriam quandam ruptam dicunt, vnde sanguine plurimo profuso, vita eum reliquerit. En detestandum iracundiæ effectum, quæ semper maiora affert damna ei, in cuius corde excandescit, quam illi contra quem suas flammas vrentes ebullit. Vociferabatur & indignabatur Imperator tacentibus legatis, illi salui ad suos venere, Imperator morte subitanea sublatus occubuit. Discite à Christo Auditores, quia mitis est & humilis corde, non iracundus, nec malitiosus quã doctrinam cum ipso effectu terminaueritis, sine fine cum illo regnabitis. Cui laus & honor in sæcula sæculorum.

AMEN.

ORATIO ECCLESIASTICA

In Dominica Palmarum.

Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via.

Summa Concionis.

CAusæ aperiuntur, quare Christus ante mortem, solemni triumpho, & magno cum gaudio excipi à Hierosolymitanis aliis voluit.

Exo. 8.

INgens fuisse gaudium Noe, cum ad eum columba venisset, ad vesperam portans ramum oliuæ, virentibus foliis in ore suo, facile colligitur: intellexit quippe iam cessasse aquas super terram, Deumque Omnipotentem placatum manum suam fortem tandem cohibuisse. O quanta lœtitia Angelis Dei, imo & ipsi Christo Domino oritur, cum hodierna die, præmissa sufficienti peccatorum suorum confessione anima Christiana, carens felle peccati mortalis, cum ramo oliuæ, seu cum bono proposito, amplius non peccandi, præterita deplorandi, & futura cauendi, obuiam procedit Christo, maius enim est gaudium coram Angelis Dei, super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, sed illa cœlesti lœtitia relicta de hodierna nobis disputandum esse video, atque inquirendum, quid causæ sit cur Christus Dominus ante mortem cum triumpho & lœtitia Hierusalem ingreditur.

AVE MARIA.

NEmo non videt factum hodiernum summa admiratione esse excipiendum, diligentique consideratione introspiciendum, quare Christus Dominus solemni triumpho paucos post dies vitam cum morte commutaturus excipi voluit? cum enim carne indutus hunc in mundum infans ingrederetur, emisit vocem similem nobis, nasci quoque voluit in stabulo, omnem aëris intemperiem, frigoris molestiam, stabuli turpitudinem non abhorrens: sed cum de hoc mundo nigrandum est, dissimilem à nobis exitum de hac lacrymarum valle, Christum quærere in aperto est. Nos enim cum morti proximi sumus insolito terrore concussi ingemiscimus, doloris & tristitiæ indicia, vultu, oculis, manibus præferentes. Christus vero moriturus summo gaudio & solemni triumpho honorari non recusat. Habete causas. 1. Nascendo Christus Dominus idcirco ploratum emisit, quia subiit eum recordatio præuaricationis nostrorum Parentum, cuius ergo durum exilium nos omnes subire coacti sumus, gaudet moriturus, quia compertum habet morte sua humano generi, paradisum voluptatis restituendum,& regnum cœlorum iam quasi iure hæreditario donãdum. Fleuit inquam nascendo, quia recordatus fuit miseræ conditionis humanæ iuxta verba S. Iob. *Homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miseriis*, gaudet moriturus, videns paucos post dies, sese æternas obtenturum delicias. Fleuit nascendo, quia vidit miserabilem hominum nascentium viuentium, & mori-

Cur Christus natus fleuit, moriturus lætatur.

morientium ſortem, quippe naſcebantur in dolore viuebant in labore, moriebantur in mærore, gaudet moriturus, quia videt morte ſua allaturum ſe afflictis conſolationem, laborantibus refrigerium, debilibus auxilium, egenis ſubſidium, morientibus æternæ vitæ ſolatium. O vere magna cauſa lætitiæ? quis enim continere poteſt cor ſuum, quin gaudio repleatur, ſciens breue poſt tempus ſe æternum habiturum regnum? Placet vnum atque alterum exẽplum in medium proferre. Nicolaus Tolentinas ſex totis ante obitum menſibus, paulo ante nocturnas preces, ſingulis noctibus ſuauiſſimum Angelorum concentum audiuit, qui illi quaſi prægustationem vitæ futuræ præbebat. Itaque, quo illum deſiderio eius vitæ arſiſſe credimus, ad cuius iucunditatem tã iucundè inuitabatur? Declarauit ipſe qui frequenter illud Apoſtoli dictum in ore habebat. Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto. Quin idem etiam cum reſolutionis tempus inſtaret, in extremo ſpiritu voces fundere cæpit, lætantis atque geſtientis: cuius inuſitati gaudii cum fratres qui aderant cauſam quæſiſſent, attonitus ille vixque ſui compos præ magnitudine rei: Dominus meus IESVS Chriſtus inquit, Sanctiſſimę Matri ſuæ & Auguſtino Patri noſtro, innixus, dicit mihi; Euge ſerue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui, in quibus verbis expirauit. Gregorius libro quarto Dialogorum mortem Vrſini Presbyteri deſcribens ſic refert. Cum magna cœpit lœtitia clamare dicens: Bene veniant Domini mei, bene veniant Domini: qui ad tantillum ſeruulum veſtrum dignati eſtis venire? venio, venio, gratias ago, gratias ago. Cumque hoc iterata crebro voce repeteret,

In vita eius ca. 11. & 13. apud Sur, ſeptimo to.

Angelorum concentus auditur à S. Nicolao ante mortem.

Gaudium in morte.

Beati Petri & Pauli apparitio.

ret, quibus hoc diceret, noti sui, qui illum circumsteterant inquirebant. Quibus ille admirando respondit dicens. Nunquid hic conuenisse sanctos Apostolos non videtis? beatum Petrum & Paulum, primos Apostolorum non aspicitis? Ad quos iterum conuersus dicebat. Ecce venio, ecce venio, atque inter hæc verba animam reddidit. Quoniam igitur Christus Dominus proximam suam gloriam & claritatem imminere, (quantum ad corpus attinet) vidit, moriturus lætabatur Sanctos suos, eadem lætitia in morte repletum iri apte insinuans. 2. Vt ostenderet quam cum ingenti desiderio expectauit mortem suam, pro amore nostro subeundam. Oblatus enim est quia ipse voluit. Nam ante mortem oppetendam signa ostendere lœtitiæ indicium certissimum est, eum hominem sponte & non coactè subire mortis sententiam. Sed interrogemus Dominum IESVM. Cur lœtaris breue post tempus mortem oppetiturus bone Domine? Sexto die turpissima morte damnandus es, funibus constringendus, flagellis verberandus, spinis lacerandus, omnium ludibrio exponendus, & tamen gaudio exultas, & triumphis indulges? Respondebit ille amorem erga vos in corde meo ardentem, causam esse huius lœtitiæ, vt videatis quanto cum desiderio tempus mortis meæ ignominiosissimæ expectem. O amorem ardentissimum. O dilectionem admirabilem. 3. Voluit Christus Dominus innuere, bonis non esse mortem timendam, qualiscunque illa fuerit, nec tristandum esse cum superuenerit, si quidem, *iustus quacunque morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit*. S. Franciscus Assisias cum grauissimis arderet totius corporis doloribus,

Secunda causa Christi lœtitiæ.

nullum aliud fomentum habebat illorum dolorum, quam vt ipse diuinas laudes lœtabundus caneret, & alios canentes audiret, in quo cum ab Helia fratre obiurgaretur, quod potius præstaret illud tempus extremum, lacrymis & pœnitentiæ impendere, respondit non licere sibi aliter facere, cum sciret se breui cum Domino fore, quomodo enim homini bono & sancto tempore mortis tristandum esse arbitrabimur, cum videat moriens iam desinere tempus belli & adesse tempus pacis & dies salutis, qui igitur bene viuit bene moritur, & qui seminat in lacrymis in exultatione metit portando manipulos suos, quis enim lœtitia non diffluet cum recordatus fuerit, se ab exilio in patriam, è seruitute in libertatem, è miseriis in omnem rerum affluentiam migrare? Quis non libẽter de carcere ad palatium, de aduersitate ad omnem prosperitatem, de mortalitate ad immortalitatem properabit? 4. Quando aliquis exhibiturus est publicè actum aliquem singularem puta Comœdiam, discit domi prius qualis debeat esse foris, & antequam actum illum publicè exhibeat solet intra domesticos parietes aliquoties illum exercere. Christus Dominus in die Resurrectionis suæ exhibiturus est actum Deo Patri & Angelis iucundissimum. Patres videlicet Sanctos e lymbo educturus, dracoñe illum antiquum catena ligaturus, omnemque eius vim & potentiam confracturus, & in quãtum coniicere possum, tres actus in illa comœdia futuros animaduerto. In primo Christum Dominum, à Patribus in lymbo magno cum applausu excipiendum exhiberi, & iste actus hodie repræsentatur, cum Christus Hierosolymam ingrediens magno cum gaudio ab omnibus

Qui seminat in lacrymis metet in exultatione.

omnibus salutatur. Secundus actus Christum victoria potitum exhibebit, & hic quoque actus hodie repræsentatur, cum ciuitas illa Christi summos aduersarios, & plane hostes capitales continens, quasi deuicta eius præsentia elatum capitis verticem humiliat. Tertius actus triumphum solennem Christi resurgentis continebit, & iste hodie repræsentatur, quando Christus cum omnium lœtis acclamationibus ciuitatem ingreditur. 5. Dicit Dominus de seipso. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Ad obtinendam ergo huius possessionis in cœlis intromissionẽ magno cum apparatu in die Ascẽsionis suæ Christus Dominus ingredietur, ad firmandam vero huius potestatis in regno terreno, hodie cum pompa & triumpho Metropolim regni sicut proprius hæres & Dominus, intrare præsumit. 6. Docebat multis & disertissimis verbis, Christus Dominus mundi gloriam esse contemnendam, tanquam fallacem & breui duraturam, hodie exemplo ipso manifestat, & doctrinam suam reipsa comprobat ac si diceret. Intuimini me hodie cum magno applausu receptum, salutatum, & magno honore præuentum, sed gloria mundi instar fumi qui à vento dispergitur. Hodie quippe ante solis occasum, me ab eodem populo eiectum, contemptum, spretum videbitis. O vanas mundi pompas. Iam vero die sexto, ô qualis inconstantia mundanæ gloriæ, in Christo agnoscetur. Hodie cum applausu recipitur, die sexto cum ludibrio eiicietur. Hodie Rex appellatur, die sexto morte damnabitur, hodie honoratur, die sexta inferior homicida iudicabitur, hodie asina vehitur, die sexta cruce oppressus ad montem Caluariæ ducetur, hodie

Quot actus illa comœdia contineat.

die cantu excipitur, die sexto clamoribus ad crucē postulabitur, hodie ramis Palmarum honoratur, sexto die virgis & spinarum aculeis lacerabitur, hodie multa plebe hinc inde circumdatus in vrbem introducitur, sexto die stipatus militibus crudelissimis ad mortem trahetur. Hodie Dei Filius vocatur, sexto die, vorax & potator vini, atque seductor nuncupabitur, hodie comitantibus se Apostolis, & turba discipulorum graditur, sexto die, à notis suis derelinquetur. O summam gloriæ mundanæ incōstantiam. Ad vos meam conuerto Orationem Auditores. Procedamus obuiam Christo, & siue in vita, siue in morte fuerit, non eum derelinquamus, eiicietur ille nos quoque cum illo eiiciamur, flagellabitur ille, & nos eisdem flagellis succumbamus, opprimetur ille, & nos opprimamur. Famem, æstum, sitim, inopiam patietur ille & nos patiamur, si enim compatiemur & conglorificabimur, vna cum Christo Domino cui laus & gloria cum Patre & Sācto Spiritu. AMEN.

SECVNDA ORATIO ECCLESIASTICA

In eadem Dominica.

Summa Concionis.

PEccatorē nunquam posse vera lœtitiā abundare, iustum autem omni tempore, & maximè in hora mortis, pulchrè docetur. Mul-

MVltas causas enumeraui, in prima concione, propter quas Christus Dominus morti proximus ingenti cum lœtitia, & triumpho in ciuitatem Hierusalem ingredi voluit, inter quas non abs re hanc esse collocandam existimo, vt videlicet declararet, probos & Sanctos homines semper existere veræ lœtitiæ participes, nullumque casum posse dari, qui eos interno gaudio priuare valeat: peccatores vero & impios maximis tristitiæ tormentis excruciari, etiam in medio voluptatum, in aperto est, quippe quæ sub sole sunt, vanitatem redolent, summamque afflictionem animabus inferunt, & omuis risus dolore miscetur extremaq; gaudii occupat luctus. Ne autem surdo fabulam canere & aliquid à veritate alienum dicere videar, in hac concione nullum peccatorem veram lœtitiam posse habere pulcherrimo discursu declarabo.

AVE MARIA.

INprimis sic argumentor. In qua domo morte sublatus est Paterfamilias, in domo illa fletus, & ploratus, & lamentationes resonant, nulla ibi lœtitiæ signa, nulli musicorum cantus, nulli organorum aut tubarum sonitus audiuntur, sed potius omnia mærore & squallore induuntur, parietes panno nigro conteguntur, faces accéduntur, domus tota liberorum, propinquorum, & seruorum lugubribus vocibus impletur. At in corpore peccatoris anima quæ peccauit ipsa mortua est, quomodo ergo ibi veram esse lœtitiam dixeritis? imo vero omnes mœroris & dolo-

Anima in corpore peccatoris mortua est.

doloris cruciatus in corpore illo, existere vos fateri necesse est, conscientia quippe illius pungitur quasi gladio ancipiti, voluntas & intellectus confunditur propter malum adamatum, & bonum infinitum amissum, omniaque membra quandam induunt mæstitiam, & tristem pigritiam, nam nec oculus hilari aspectu intuetur sanctos & probos secum identidem colloquentes, nec auris prõpte obedit diuinis vocibus, nec cor acquiescit cœlestibus inspirationibus sed totus homo turbatus, afflictus mærore & squallore oppressus gemit, anima enim in domo illa mortua sordescit, quod autem lethalis culpa animæ miseram inferat mortem patet, scribit enim Sanctus Apostolus ad Romanos. *Si secundum carnem vixeritis moriemini*, quid sit autem viuere secundum carnem, ex eiusdem Apostoli verbis facile constare potest. *Manifesta inquit sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria*, & his similia: inquit ergo Paulus, si secundum carnem vixeritis moriemini Cum enim huiusmodi operibus lethiferum peccatum coniungitur, quasi pugione quodam anima confoditur eiusq; vita extinguitur. Idem comparabat Diuus Iacobus dicens. *Vnusquisque tentatur, à cõcupiscentia abstractus, & illectus, deinde concupiscentia cum conceperit parit peccatum, peccatũ vero cũ consummatũ fuerit, generat mortẽ.* Quocirca humani generis Assertor peccatores mortuorum nomine nuncupare solet in Euangelio. Cum enim quidam eorum qui in eius se disciplinam volebat tradere ab eo potestatem peteret eundi, ad parentum corpus in sepulchro condendum, respondit illi Christus. *Sinite mortuos sepelire mortuos suos*, id est qui animi vita orbati sunt, sepeliant eos, qui vita corporis functi sunt; cum item

Rom. 8.

Matt. 8.

item de filio prodigo loqueretur fratri minori. *Frater tuus hic mortuus erat & reuixit, perierat & inuentus est.* Et quidem cum mortuus dicitur sermo est de prodigo illo, dum flagitiis, libidini, ac voluptati se totum dederet, quamuis enim tunc videretur sibi lętè iucundeq; viuere, eo tamen tempore mortuus esse asseritur. Habet se mortiferum animæ vulnus à peccato inflictum, tanquam ictus quidam fulminis, qui nulla extrinsecus cicatrice imposita, interius maximè vulnerat, omniaque ossa penitus comminuit, & vagina incolumi persistente, ensem in ea inclusum frangit ac omnino comminuit, sic etiam lethalis culpæ vulnus animam corpore inclusam interimit, ipso corpore sano saluoque permanēte. Colligitur ergo perquamoptime hominem peccatorem cum in tabernaculo corporis sui animam mortuam habeat non posse veræ lætitiæ esse participem. Qui in vinculis detinetur, aut funibus constrictus carceri includitur, aut in seruitutem ductus captiuitatis oppressione affligitur, eum lœtitiæ habenas laxare incredibile, talis est sors peccatoris. ergo &c. *Funes peccatorum circumplexi sunt me*, ait S. Dauid. Ezech, 33. *In iniquitate sua captus est*, Psal. 115. *Dirupisti vincula mea tibi sacrificabo hostiam laudis.* Adhæc vbi non est pax non potest esse gaudium, sed non est pax immpiis ergo nec gaudium. Præterea vera lœtitia ex sola virtute oritur, non habent virtutem impii, ergo nec lœtitiam. S. Chrysostomus hom. 54. ad populum. Illam ego quæro lœtitiam quæ ex nulla re corporali principium habet, sed ex spiritualibus de qua Paulus ait. *Gaudete in Domino semper*, spiritualia enim sunt quæ veram efficiunt lœtitiam, mundi enim lœtitia nomen tantum lœtitiæ habet,

Simile.

Qui facit peccatum seruus est peccati.

cum in eo omnia tristitia sint. Quantam habet tristitiam superbus, quomodo cruciatur dum extollitur innumeras sibi contumelias inferens, multum odii multum inimicitiæ, inuidiæ multum, quod si à maioribus condemnatur dolet, si non super omnes insurgat roditur, humilis autem est in magna voluptate, honorem expectans à nemine, si fortasse quidem honoretur gaudet, si vero non honoretur non dolet, gratum enim habet quod honoratus nõ fuerit, ipsum autem nemo afficit contumelia. &c. Insuper ibi est vera lætitia, vbi est bene, vbi vero væ, ibi eam inesse, nunquam dixero, sed, *si impius fuero væ mihi*, ergo ibi nulla lœtitia. Quale væ, vel qualiter væ! Omnimodo quidem iniusto væ, licet enim diuitias & delicias habeat, væ illi est, tum quia ipsis peccata accumulat plura, tum quia non illum diuitiæ, & reliqua mundi vniuersi bona, à miseria culpæ quæ omnium maxima est, neque à cruciatu conscientiæ: & à miseria gehennæ poterunt liberare. Sicut igitur grauiter ægrotanti, nec famulorum turba, nec ministrantium obsequia, nec diuitiarum copia, nec suppellectilium nitor, nec generis claritudo illum bene esse faciunt. Dolor enim & infirmitas afflictioné corpori & animæ pariunt, non obstantibus reliquis bonis: sic ægritudine peccati affecto, quæ omnium pessima est, reliqua bene illi esse non possunt, at contra. Isa. 3. *Dicite iusto quoniam bene quoniam fructum adinuentionum suarum comedet.* bene ergo vbique iusto, quia cum bonus ipse in se sit, reliqua omnia imo sæpe etiam mala illi cooperãtur in bonum. Ad extremum tali discursu rem meam concludo. Duo contraria simul & semel non possunt esse in vno subiecto, sed vbi peccatum

Simile.

tum regnat ibi tormenta, ibi timor & terror, ibi vermis nunquam moriens, ergo lœtitia nullo modo suam ibi extendit iucunditatem, toto enim cœlo sibi aduersatur tormentum & gaudium, tristitia & lœtitia trepidatio & securitas, nulla igitur impiis adest aliquando lœtitia. Psal. 37. Cum Dauid de peccatis suis ageret cum Deo. *Non est sanitas* inquit *in carne mea, à facie iræ tuæ, non est pax oßibus meis à facie peccatorum meorum,* quasi dicat, Domine adeò me peccatorum meorum facies exterret, & torquet, vt omnem iram tuam super me venire credam. Si vulneratum pedem habes & dolet, omnia formidas & times, ne ad pedem vulneratum accedat, si manum vel pedem mouet alius, iam pedem contrahis & ais væ, si iacens si in lecto accesserit amicus, & sedere voluerit super lectum, cum primum id attentauerit iam conquereris, & ais clamans, caue quia dolor & vulnus timidum reddit, & omnia in vulnus super vulnus timet, sic est conscientia vulnerata, si tonant nubes, iam fulgura super se cadentia imaginatur, si caput dolet mortem adesse credit, hæc enim est conditio conscientiæ mala. Et obserua Dauidis culpam iam remissam fuisse tunc, & ipsum id iam nosse. audierat enim à Nathan Propheta. *Dominus transtulit peccatum tuum.* Quod si peccatum remissum sic animam morsibus pœnarum torquet, quid peccatum non remissum, vel cuius remissionis non talem notitiam habes. Est enim peccatum comissum velut spina infixa pedi, pungit semper & pedem figere non sinit in terra sine dolore, & est peccator sicut latro, cum iudicem vel aliquem ministrum, vel malam crucem forte videt inde tremit, & pauet. &c. Addo & illud Prou. 28. *Fugit impius nemine perse-*

Simile.

perſequēte. Quis grauior poteſt pauor excogitari quàm ille quo quis nemine perſequente fugit, perſequente alio fugere timoris indicium eſt magni, at fugere ſine perſequente timor inauditus eſt. Tali ergo premuntur mali. Vbi verò timor & trepidatio, ibi perfecta non cõſiſtit lætitia. Olim Rex Balthaſar grande illud cõuiuium cum mille ſuis optimatibus celebrauit, ſed cum digitos illos manus ignotæ proſpexiſſet, vehementi terrore correptus eſt, ita vt Regis facies commutata eſſet, & cogitationes eius conturbarent eum, & compages renum eius ſoluerentur, & genua eius ad ſe inuicem colliderentur, quippe ſuperueniente timore ceſſat lætitia, ſemper igitur impii tormenta & cruciatus patiuntur, nunquam verò lætitiæ veræ dulcedinem experiuntur, quid verò erit in morte? O deplorandam illorum ſortem: Væ mihi ſi impius fuero. Omni ergo ſtudio contendite auditores, vt quam primum excuſſo ſeruitutis peccatorum iugo, in libertatem & lætitiam filiorum Dei progredi valeatis, ſeruire quippe Deo regnare eſt, nec melius quidquam ſub ſole reperitur quàm benè agere & ſemper lætari, quod nobis præſtare dignetur Chriſtus Dominus regnans cum Deo Patre & ſancto Spiritu.

AMEN.

Finis tomi primi.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0023645